
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
FONDO
42
4 II
32



DIRECTORIUM
ORDINANDORUM

Dilucida, brevique methodo complectens quidquid ad sacras Ordinationes pertinet,

AUCTORE R. P. D.

ALPHONSO
DE LIGORIO

Rectore Majore Congregationis SS. Redemptoris.

A D C E D I T

EPITOME SACRORUM RITUUM

AB JOSEPHO CABRINO

Sac. Theol. Doct. Sanctaeque Generalis Venetae inquisitionis Consultore collecta, & concinnata.



VENETIIS, MDCCLVIII.

Ex Typographia Remondiniana.

Superiorum permissu, ac Privilegio.

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

POstquam celeberrimi viri P. Alphonsi de Ligorio Moralem Theologiam tribus voluminibus comprehensam, ejusdemque Praxim Confessariorum in lucem typis nostris protulerimus, ad manus nostras pervenit manuscriptum quoddam Opusculum ab eodem auctore concinnatum, in quo brevi, dilucidaque methodo pertractatur quidquid scitu necessarium est iis, qui ad ecclesiasticos ordines accedere volunt. Cum autem sciamus quanto ab omnibus plausu cum Theologia, tum Praxis ipsa sit excepta, rem tibi pergratam fore non dubitavimus, si hoc etiam publici juris faceremus. Ut autem nihil desiderari posset, quod ad eorumdem Ordinandorum usum conferret, visum est Epitomen etiam sacrorum Ritu-

Rituum ab Josepho Cabrino ex variis, selectisque authoribus summo studio collectam adjicere.

Doctrinarum, quæ in Ordinandorum examine continentur, rationes hic tantum indicantur, & Doctorum auctoritates data opera Auctor prætermisit, ne libellus in nimiam molem excresceret. Si quis hæc omnia fusius tractata videre cupiat, Theologiam ipsam consulat, cujus hic loca accurate identidem adnotantur. Vale.

IN-

INDEX

EXA-



EXAMEN ORDINANDORUM.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

1. SAcramentum generaliter loquendo significat mysterium, sive rem occultam; Sacramentum vero in Ecclesia Christiana sic definitur: *Est visibile signum invisibilis Gratiæ, ad Populum Dei sanctificandum, a Christo institutum*. Dicitur *signum sensibile*, scilicet signum externum in materia sensibus subjecta. *Invisibilis Gratiæ*, quia Sacramentum significat Gratiam, quam causat invisibiliter, scilicet ex opere op rato, sive per se, modo suscipiens sit dispositus. *A Christo institutum*, quia juxta sententiam

probabiliorem, Christus etiam ut Homo Sacramenta instituit, ex potestate (ut dicitur) *excellentiæ*.

2. Tria igitur ad Sacramentum constituendum requiruntur, signum externum, Promissio Gratiæ, & Institutio Christi, quia omnia sacramenta ex Christi Passione vim habent.

Dubitatur, an Circumcisio fuerit olim verum Sacramentum, conferens Gratiam ex opere operato? Affirmat *Scotus*, sed communius id negant DD. nam Circumcisio operabatur sanctitatem tantum externam, non autem internam. Commune tamen est; quod verum fuerit Sacramentum.

3. Sacramentalia, quæ sunt quædam actiones sacræ ab Ecclesia institutæ, prout sunt Aqua lustralis, Benedictiones rerum, consecrationes, & similia, hæc non habent per se vim remittendi peccata, sed tantum impetrandi auxilia Divina ad eliciendos actus bonos, quibus postea peccata remittuntur.

4. Quomodo distinguuntur Sacramenta? Primo, alia sunt ne-

cessa-

cessaria necessitate *Medii*, ut sunt Baptismus pro omnibus; Pœnitentia pro lapsis in mortale; & Ordo pro iis qui Sacramenta Eucharistiæ & Pœnitentiæ ministrant: Et etiam Eucharistia pro omnibus (juxta probabiliorem sententiam), saltem in voto implicito. Alia necessitate *Præcepti*, ut sunt Confirmatio (juxta probabilem sententiam, licet opposita etiam sit probabilis): Et Extrema-Unctio, ut est probabilius.

5. Secundo, alia sunt Sacramenta *Iterabilia*, ut Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, & Matrimonium. Alia *Initerabilia*, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo, propter Characterem, quem indelebiliter imprimunt.

Tertio, alia sunt *Mortuorum*, ut Baptismus, & Pœnitentia, quia primam conferunt Gratiam, & supponunt Animam mortuam, idest Gratia carentem. Alia *Vivorum*, quæ aliquando per accidens dant etiam primam Gratiam, nimirum casu quo aliquis attritus, bona fide putans se contritum, illa suscipit, ut docent multi DD. ex D. Thoma.

6. Quarto, alia sunt *Formata*,

idest cum effectu Gratiæ ; alia *Informia*, scilicet sine collatione Gratiæ, quæ est Sacramenti forma. An detur Sacramentum Pœnitentię validum, & informe ? Alii negant ; sed communiter & verius alii affirmant : Casus esset nimirum, si quis acciperet Absolutionem ab aliquo mortali peccato, cum attritione concepta tantum ex turpitudine supranaturali illius peccati, & cum oblivione inculpabili alterius peccati mortalis; vide dicta in nostra Theologia *lib. 6. num.* 444. *Qu. VIII.*

7. Quær. I. Quæ requirantur ad Essentiam Sacramenti ? Tria requiruntur, Materia, Forma, & Intentio. *Materia* est res corporea, & sensibilis, quæ suscipienti applicatur, v. gr. aqua, Chrisma, Oleum Sanctum, &c. Et hæc est materia *Remota*, nam *Proxima* est ipsa applicatio materiæ, ut ablutio, unctio, &c.

8. *Forma* sunt verba proferenda a Ministro. Ut autem Sacramentum valeat, requiritur connexio, sive simultas Materiæ & Formæ, scilicet ut Materia applicetur antequam Formę prolatio terminetur,

vel

vel postquam prolatio Formæ sit incepta . Sententia autem , quod sufficiat applicare Materiam immediate ante , vel post prolationem Formæ, est tantum probabilis, non autem moraliter certa, ut requiritur ubi agitur de valore Sacramenti, ex Propos. 1. damnata ab Innocentio XI. Excipiuntur tamen Sacramenta Pœnitentiæ, & Matrimonii, quæ valent, etiamsi longa interponatur mora inter Materiam & Formam ; vide *lib. 6. num. 9.*

9. Si mutetur substantialiter Materia, nempe applicetur vinum pro aqua; vel mutetur Forma, nempe si verba non habeant eundem sensum, puta dicendo *Te expurgo*, pro *Te Baptizo* , invalidum est Sacramentum. Secus si mutatio est accidentalis, scilicet si aqua sit calida, aut decocta, aut si dicas : *Ego te Baptizo in nomine Patrias, & Filias, &c.* vel *In nomine Patris Omnipotentis, &c.* sic tamen mutare , non excusaretur a peccato gravi ; *lib. 6. num.* 11. & 12.

10. Materia autem dubia nequit adhiberi, nisi tantum ex gravi causa urgenti, & sub conditione, *lib.*

 6. *num.*

6. num. 27. An autem Minister possit uti Materia, aut Forma dubia, si ad id cogatur metu mortis? Probabiliter potest, nisi cogatur in contemtum Religionis; ita *Sanchez*, *Coninch.* &c. vide dict. a nobis *num. & 29.*

11. Si in Materia propria misceatur extranea, in majori vel æquali parte, Materia est inepta. Secus si in minori; ita S. Thomas; *lib. 6. num.* 201.

12. Interruptio Formæ, si sit modica, non officit valori Sacramenti. Secus si talis sit, ut verba non constituant unum sensum *lib. 3. num.* 11. *ad* 3. Non licet autem Formam repetere, nisi adsit probabile dubium quod Forma invalide fuerit prolata; vide *num.* 224. *in fin.*

13. Alii dicunt aliquas Sacramentorum Materias, & Formas fuisse a Christo in genere determinatas, & relictas Ecclesiæ, ut ipsa in particulari determinaret. Sed probabilius alii docent, omnes fuisse a Christo determinatas in substantia; unde si aliqua invenitur inter novam & priscam Ecclesiæ consuetudinem

dinem differentia circa Materias & Formas, mutatio hæc censetur tantum accidentalis; *lib. 6. n.* 12.

14. Demum ad essentiam Sacramenti requiritur *Intentio* Ministri, & quidem actualis, vel saltem virtualis. Intentio *Actualis* est ea quæ actu habetur. *Virtualis* autem quæ permanet in virtute actionis, quam Minister exequitur ex intentione actuali prius habita: Ad differentiam intentionis *Habitualis*, nempe quæ aliquando est habita, & non est retractata; *lib. 6. num.* 15. Hæc autem Habitualis non sufficit in Ministro, sed bene sufficit in suscipiente Sacramenta; cui sufficere potest etiam intentio *Interpretativa* in Sacramento Extremæ-Unctionis: Intentio *Interpretativa* est ea quæ non habetur, nec unquam fuit habita, sed haberetur si res animadverteretur; *l. 6. n.* 81. *&* 82.

15. Quær. 2. Quis sit Minister Sacramentorum? Quoad Ordinem solus Episcopus est Minister; *lib. 6. n.* 761. & quoad Confirmationem ipse est Minister ordinarius, nam extraordinarii possunt esse etiam simplices sacerdotes; *num.* 170. Alio-

rum

rum autem Sacramentorum ſolus Sacerdos eſt Miniſter, excepto Matrimonio; *num.* 897. & etiam Baptiſmo in neceſſitate, in ea enim poſſunt etiam Laici, & adhuc Hæretici baptizare; *num.* 113.

16. Ad valide autem miniſtrandum Sacramentum, non eſt opus ut Miniſter ſit in Gratia, nam peccatores etiam valide miniſtrant. Non vero excommunicati vitandi reſpectu ad Sacramentum Pœnitentiæ, nec etiam in caſu mortis, ut oſtendimus *lib. 6. num.* 560. *Q.* 1. Ad licite vero miniſtrandum, requiritur ſtatus Gratiæ. Sed in extrema neceſſitate, ſi Miniſter non poſſet tam cito conteri, probabiliter a culpa excuſatur ſi miniſtrat, ut *Sotus*, *Suarez*, *Tolet. Cajet. Arm. Valent. Anacl. &c. ap. Sabin. Lux Mor. par.* 2. *tr.* 41. *n.* 56. & vide in noſtra Morali *lib. 6. n.* 33. Nunquam autem excuſatur Parochus, aut Œconomus, hi enim debent eſſe ſemper parati ad miniſtrandum. Celebrans autem in mortali, quatuor mortalia committit, quia confecrat, quia ſumit, quia miniſtrat, & quia miniſtrat indigno,

qui

qui est ipsemet ; *lib.* 6. *num.* 33.

17. Quæritur, an peccet graviter, qui existens in mortali ministrat Sacramentum in necessitate, si ad illud non est ordinatus, ut laicus baptizans, vel si est ordinatus, sed ministrat non sollemniter? Alii probabiliter negant, sed probabilius alii affirmant ; *lib.* 6. *n.* 32. Minister autem sollemniter ministraturus Sacramenta, si est in mortali, sufficit ut eliciat certum actum contritionis ; *n.* 34. celebraturus vero Missam, debet Confessionem præmittere : excepto casu quo ex necessitate ex una parte deberet celebrare, & ex alia non adesset copia Confessarii ; sed tunc post celebrationem debet quamprimum confiteri, ut præcipit Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 7.

18. Confessarius, si absolvit plures Pœnitentes successive in statu peccati mortalis, plura mortalia committit ; quia plura Sacramenta distincta ministrat. Celebrans autem in mortali, si pluribus Eucharistiam ministrat, probabilius unum mortale tantum committit ; quia ministratio illa est unica actio moralis,

ralis, & Communio est unicum convivium, *lib. 6. num.* 55.

Diaconi, & Subdiaconi ministrantes in Altari existentes in mortali, juxta plures probabiliter graviter peccant; sed juxta communiorem sententiam, & satis probabilem, id negatur; quia non conficiunt, nec ministrant Sacramentum, nec exercent functiones proxime ordinatas ad sanctificationem Animæ; *lib. 6. num. 37. & 38.*

19. Peccat graviter Ministrans Sacramentum indigno petenti occulte; secus si ille sit peccator occultus, & petat publice. Non licet autem ob metum etiam mortis simulare administrationem Sacramenti; ex Prop. 29. damnata ab Innocentio XI. nempe si simulet ut alii credant jam ministrasse Sacramentum; secus si recitet aliquam Orationem super Pœnitente indisposito, non ut alii credant absolutionem illi impertitam, sed tantum ad occultandam negationem absolutionis; vide *lib. 6. num. 59.*

20. Minister invalide ministrat Sacramentum, si non intendat facere, non tantum actum externum,

quem

quem facit Ecclesia, sed etiam ritum Sacramentalem, quem intendit Ecclesia a Christo instituta, etiamsi Minister, non joco (ut adhuc admittebat Lutherus), sed serio ministret, ut probavimus *lib. 6. num.* 23. Si vero id jam intendat, valide ministrat, etiamsi non habeat intentionem conferendi Sacramentum, & etiamsi non habeat intentionem explicitam conferendi Sacramentum. Dico, *non habeat intentionem explicitam*, nam si positive haberet intentionem non conferendi Sacramentum, tunc neque conferret, quia tunc revera nullam haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; *lib. 6. num.* 22.

21. Sacerdos conficiens Sacramentalia, (puta Aquam Benedictam) in mortali, non peccat graviter.

22. Quær. 3. Quid requiratur, ut quis valide, & licite Sacramenta suscipiat? Ut valide suscipiat, requiritur 1. Ut sit baptizatus, nam alias non est capax aliorum Sacramentorum. 2. Ut saltem prius habuerit intentionem suscipiendi Sacramentum, & eam non revocaverit, ut supra diximus *num.* 14. in fin.

fin. Hinc si quis ordinaretur per vim, invalide ordinaretur. Secus si per metum, quia metus non tollit voluntarium. Ut licite autem suscipiat, requiritur conveniens dispositio, nempe status Gratiæ. Unde si quis est in mortali, debet saltem esse contritus cum proposito confitendi: Imo ad recipiendam Eucharistiam requiritur prævia Confessio; nisi necessitas urgeat, & non adsit copia Confessarii; quo casu debet Sacerdos qui celebravit quamprimum confiteri; ex Trident. *Sess.* 13. *c.* 7. Necessitas autem erit 1. ob dandum Viaticum. 2. ob vitandam infamiam, aut scandalum. 3. Si ille est Parochus, & occurrat Festum de præcepto. 4. Si celebrans post Consecrationem recordetur mortalis culpæ. Insuper advertendum, quod suscipiens Sacramentum Pœnitentiæ sine dispositione, non solum illicite, sed etiam invalide suscipit, dum contritio Pœnitentis est etiam materia hujus Sacramenti. Respectu vero ad alia Sacramenta, si quis indispositus ea suscipit valide suscipit: ea recedente fictione, sive obice peccati, illa

revi-

reviviscunt; ideſt Gratiam cauſant, ut docent plures ex D. Thoma; *lib. 6. num.* 87.

23. Quær. 4. An liceat petere Sacramenta a Miniſtro peccatore, vel excommunicato? Non licet a peccatore, niſi adſit juſta cauſa. In extrema neceſſitate licet etiam dare pecuniam Miniſtro, ut miniſtret Sacramentum, ſi alias nollet. Abſolute vero, ſine alia cauſa, licet recipere Sacramentum ab excommunicato, ſi ſit toleratus; quia abſolute conceſſum eſt a Concilio Conſtantienſi Fidelibus poſſe communicare cum toleratis. A vitando autem numquam licet ſuſcipere Pœnitentiam, quia (ut diximus *num.* 16.) vitandus etiam in extrema neceſſitate invalide eam miniſtrat.

24. *De Effectu* Sacramentorum. Duplex eſt Sacramentorum effectus, collatio Gratiæ, & Impreſſio characteris. Primus ergo effectus eſt Gratia; duplex autem Gratia confertur in Sacramentis, Gratia *Sanctificans*, nempe quæ facit Hominem Amicum Dei, & gratia *Sacramentalis*, quæ eſt propria & peculiaris uniuſcujuſque Sacramenti

ad

ad causandum effectum proprium Sacramenti illius, nempe baptismi ad abluendum a culpis, Confirmationis ad roborandum in Fide, Eucharistiæ ad reficiendam Animam, Pœnitentiæ ad delenda peccata, Extremæ-Unctionis ad vim conferendam adversus Dæmonum tentationes, Ordinis ad conferenda auxilia ut Ordinatus recte sua munera exerceat, & Matrimonii ut conjuges illius onera & obligationes bene sustineant, & adimpleant.

25. Sacramenta in suscipiente disposito ex se causant Gratiam *ex opere operato*, non ex opere operantis, scilicet ex merito suscipientis. An autem causent physice, ita ut materia Sacramenti, nempe aqua, oleum, &c. cum sit causa tantum naturalis, elevetur a Deo ad causandam Gratiam, ut docet *D. Thomas*; Vel tantum moraliter, ita ut, posito Sacramento, Deus per se conferat Gratiam prout vult *Scotus*? Utraque sententia est probabilis; vide *lib. 6. n. 7.*

26. Alter effectus Sacramentorum est Character. Character autem est *Quoddam signaculum spirituale indelebile,*

bile, impressum Animæ suscipientis Sacramentum. Illud imprimitur tantum in Baptismo, Confirmatione, & Ordinatione: & significat potestatem sive dignitatem ex hujusmodi Sacramentis susceptam: In Baptismo enim est signum Ovium Christi, quo Fideles efficiuntur idonei ad alia Sacramenta recipienda; In Confirmatione est signum militum Christi, quo vim accipiunt ad Fidem constanter profitendam; In ordine est signum Ministrorum Christi, quo potestatem acquirunt ad Sacramenta Fidelibus ministranda. Imprimitur autem Character etiam in Sacramento illicite suscepto, nec amittitur per peccatum. Notandum insuper, quod ex Baptismo & Confirmatione oritur alius effectus, nempe cognatio spiritualis, quæ dirimit Matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem & Matrem: item inter susceptorem (sive Patrinum) & susceptum, susceptique Patrem, & Matrem; vide *lib.* 6. *num.* 1028.

CA-

CAPUT II.

De Sacramento Ordinis.

27. ORdo eſt juxta D. Thomam, *Signaculum Eccleſiæ, quo traditur Ordinato poteſtas ſpiritualis*. Eſtque de Fide, Ordinem eſſe Sacramentum, ut patet ex Trident. *Seſſ.* 23. *cap.* 3. Nam in Ordine jam reperiuntur tria requiſita ad Sacramentum, nempe Signum externum, ut eſt impoſitio manuum, Inſtitutio Chriſti, & Promiſſio Gratiæ, prout habetur ex Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et ex Apoſtoli 1. ad Tim. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.*

28. Differt autem Ordo ab ordinatione; ordo eſt ipſa poteſtas tradita, ordinatio vero eſt actio qua Epiſcopus poteſtatem tradit. Unde Presbyteratus eſt Sacramentum in fieri, ſcilicet in actu ordinationis, non autem in facto eſſe, ſcil. cum quis jam ordinatus eſt.

29. Septem ſunt ordines: Alii Mino-

Minores, alii Majores Minores sunt quatuor, nempe Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Majores sunt tres, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Præter hos probabiliter plures DD. addunt ordinem Episcopatus; & quidem probabiliter, cum ipse probabiliter distinguatur a Presbyteratu propter distinctam potestatem, quæ traditur Episcopo conferendi aliis potestatem consecrandi Corpus Christi, & absolvendi Fideles a peccatis.

30. Quær. 1. An singuli ordines sint Sacramenta? Quod Sacerdotium sit Sacramentum, est de Fide. Quod etiam Diaconatus Sacramentum sit, est certum, sed non de Fide. Quod alii autem Ordines sint adhuc Sacramenta, satis probabile est ex *D. Thoma*; cum unicuique assignata sit materia, & forma. Omnes autem septem Ordines unum tantum Sacramentum constituunt, ex unitate finis; cum singuli sint ordinati ad unum missæ Sacrificium conficiendum; & omnes supponuntur instituti a Christo illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Im

In Ordine enim Sacerdotii alii continentur, vel eminenter, ut sunt Ordines inferiores, vel consequenter, ut est Episcopatus. Veruntamen probabilius est alios Ordines (præter Presbyteratum, & Diaconatum, ut diximus) non esse Sacramenta, quia deest in illis materia, nempe impositio manuum quæ (ut dicemus) probabilius est unica materia Ordinis; deestque etiam forma, quæ exprimat productionem Gratiæ: dum in collatione præfatorum ordinum non fit mentio Gratiæ, sed tantum potestatis quæ traditur.

31. Quær. 2. Quænam est Materia, & Forma ordinis? Alii, ut innuimus, dicunt Materiam *Remotam* esse duplicem, nempe manus Episcopi ordinantis, & instrumenta quæ traduntur ad tangendum. *Proximam* vero esse ipsam impositionem manuum, & ipsam instrumentorum traditionem. Nos autem, juxta probabiliorem sententiam, dicimus Materiam ordinis esse unicam, scilicet Remotam esse manus Episcopi, Proximam autem manuum impositionem, quæ fit ab Episcopo in secun-



ſecundo loco, nempe quando una cum Presbyteris extendit manus in Initiandos. Idque probatur 1. ex Trident. *Seſs.*14.*cap.* 3. ubi dicitur: *Miniſtri Extremæ-Unctionis ſunt aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinati per impoſitionem* (nota) *manuum presbyterii*. Probatur 2. Quia in Scripturis de ſola impoſitione manuum fit mentio; aſſeritque Tridentinum *Seſs.* 23. *c.* 2. quod Sacræ Litteræ bene docent quæ maxime in Diaconorum & Sacerdotum ordinatione attendenda ſunt. Probatur 3. Quia Græci per ſolam impoſitionem manuum ordinantur; vide *l.* 6. *n.* 749. & 750.

32. Attamen quia (ut diximus) prima ſententia eſt probabilis, nempe duplicem eſſe materiam Ordinis, ſcilicet impoſitionem manuum, & traditionem inſtrumentorum, ipſa omnino in praxi ſequenda eſt. Unde neceſſario requiritur in Ordinatione tactus inſtrumentorum; & tactus quidem phyſicus, cum p obabile etiam ſit, moralem non ſufficere. Sufficit vero tangere una ſola manu vel digito. Non oportet autem, ut diximus *num.* 8. ut con-

tactus fiat a principio prolationis formæ usque ad finem, sed sufficit si fiat antequam forma terminet, vel postquam illa jam sit incepta. Forma autem sunt verba quæ profert Episcopus ordinans, cum manus imponit, & instrumenta tradit, de quibus infra fusius agemus.

33. Quær. 3. Quis sit Minister Ordinis? Minister ordinarius hujus Sacramenti est tantum Episcopus. Potest vero Pontifex simplici Sacerdoti potestatem impertiri conferendi Ordines Minores, prout eam habent Abbates Mitrati; sed pro suis subditis tantum Regularibus professis, vel novitiis, non autem pro secularibus, ut hodie certum est ex Decreto S. C. Concilii approbato ab Urbano VIII. qui jussit, *inviolabiliter observari*, *reprobata omni contraria opinione*; vide *l. 6. num.* 763. & 764. Seculares autem ab Abbatibus ordinati, si sint sibi subditi, vel habeant Dimissoriales Litteras a propriis ordinariis ad ipsos, illicite quidem ordinantur, & suspensionem incurrunt, sed valide ordinantur, ut declaravit S. C. *ibid. num.* 766.

34. Quær. 4. Quinam sint Effectus Ordinis? Sunt tres: 1. Collatio Gratiæ *Sanctificantis*, scilicet quæ confertur in omni Sacramento (ut diximus *num.* 24.) & *Sacramentalis*, nempe specialis auxilii ad Ordinem bene exercendum. 2. Collatio Potestatis exercendi functiones ordinis qui suscipitur. 3. Impressio Characteris indelebilis, ob quod nullius ordinis collatio iterari potest.

35. Quær. 5. Quæ requirantur, ut quis valide, & licite ordinetur? Ut valide quis ordinetur, requiritur I. Ut sit viator. II. Ut sit mas, fœminæ enim non sunt capaces Sacramenti Ordinis. III. Ut sit baptizatus. IV. Ut habeat intentionem saltem habitualem (juxta dicta *num.* 14.) suscipiendi ordinem.

36. Ut autem licite ordinetur requiritur I. Ut sit confirmatus; sed hoc non sub præcepto gravi, ut vult communis sententia *lib. 6. num.* 786. II. Ut non sit neophytus, aut infamis, aut irregularis. Dubitatur hic, an aliquis irregularitate jam irretitus valide ordine-

tur, si Episcopus protestationem præmittat, ut consuetum est, nolle ordinare irregulares, excommunicatos, &c. Resp. In dubio (quicquid alii dicant) omnino dicendum, quod ordinatio repetenda est; nisi constet Episcopum verba illa protulisse tantum ad terrorem, nec suam intentionem protestationi alligasse, vide *l. 6. n.* 783.

37. III. Animus clericandi, ut præscribit Tridentinum *sess.* 23. *c.* 4. scil. ascendendi ad Ordines superiores. Hoc tamen intelligendum procedere, cum quis acceptat Beneficium quod requirit Sacerdotium, vel alium ordinem Sacrum; *lib. 6. num.* 785.

38. IV. Ut quisque ordinetur a proprio Episcopo, vel ab alio, sed cum Literis dimissorialibus Episcopi proprii, si hic non est impeditus ex infirmitate aut alia justa causa. Capitulum vero Sede vacante nequit dare alicui Dimissorias, nisi ille sit arctatus ad ordines suscipiendos, ob aliquod Beneficium requirens obsequium personale; *lib. 6. num.* 788.

39. Proprius autem Episcopus dicitur ratione vel originis, vel Domicilii,

micilii, vel Beneficii, vel Familiaritatis. Et 1. debent Ordines suscipi ab Episcopo *originis*, si ordinandus in ejus Diœcesi natus est, & Parentes tempore nativitatis ibidem Domicilium habuerint; nam si casu alicubi natus esset, & Parentes alibi Domicilium habuerint, tunc dicitur *oriundus*, & ordinari debet ab Episcopo loci, ubi Parentes Domicilium habent. 2. Ratione *Domicilii* bene ordinatur, qui in aliquo loco habitationem suam constituit, cum animo ibi perpetuo manendi. Hic autem animus probatur vel per habitationem decennii, vel per ædificationem domus cum asportatione majoris partis bonorum, degendo ibi simul per aliquod notabile tempus, ut habetur ex Bulla, *Speculatores*; vide *lib. 6. num.* 770. *infr. ad* V. 3. Ratione *Beneficii*, licet aliquis alibi natus fuerit, & domicilium ibi habeat, bene potest ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi Beneficium sufficiens ad congruam sustentationem possidet; obtentis tamen Litteris Testimonialibus ab Episcopo Domicilii. 4. Denique ratione *Fami-*

liaritatis, si quis per triennium in familia, vel servitio assiduo alicujus Episcopi permanserit, vivendo ejusdem Episcopi expensis, etiamsi non habitet in illius ædibus, potest ab illo ordinari; modo degat in loco ubi est Episcopus, vel prope; & modo Episcopus statim ei conferat verum Beneficium; non sufficit enim, si assignet Pensionem, aut Patrimonium; *lib. 6. n.* 780.

40. Regulares autem ordinandi sunt ab Episcopo loci ubi morantur de familia, si Episcopus ordinationem habeat; alias a quocumque Episcopo ordinari possunt; vide *lib. 6. n.* 768.

41. V. Requiritur scientia conveniens Ordini suscipiendo. Concilium Trident. pro Initiandis ad Primam Tonsuram tantum requirit, ut ipsi *edocti fuerint rudimenta Fidei, & sciant legere ac scribere*; *sess.* 23. *c.* 4. Pro Initiandis ad Ordines Minores, *ut linguam latinam intelligant*; *loc. cit. c.* 21. Pro Initiandis ad Subdiaconatum, & Diaconatum, *ut sint Litteris, & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi*; *cap.* 13. Demum pro Initiandis ad Sacerdotium, ut ipsi, *Ad Populum docendum ea quæ omnibus*

scire

ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; ſeſs. 23. cap. 14. & 25. Notent ordinandi & ordinantes verba illa, *ad miniſtranda Sacramenta*; ideo enim dicunt DD. quod Initiandi ad Sacerdotium ſcire debent, non ſolum quæ pertinent ad Baptiſmum, Euchariſtiam, &c. ſed etiam ad Pęnitentiam; nam licet presbyterandus non indigeat tanta ſcientia, qua indiget Confeſſarius approbatus, debet tamen ſaltem ſcire univerſalia principia Moralia, quibus ſolvere poſſit dubia communiter occurrentia in caſu neceſſitatis, quo teneatur Moribundi Confeſſionem excipere. Et ſpecialiter omnino ſcire tenetur, quomodo ſe gerere debeat cum Fidelibus morti proximis: nempe 1. Quando poſſint eos abſolvere, etiam in præſentia Confeſſarii approbati? 2. Quando abſolute, quando conditionate? 3. An non ſolum in articulo, ſed etiam in periculo mortis; & in quali periculo? 4. Quid debeat imponere Infirmo, ſi habeat caſus, vel cenſuras reſervatas? vide quæ de

his infra breviter dicentur ex *num.* 207.

42. Verum in Regularibus addictis ad vitam contemplativam, vel tantum ad Chorum, & Altare, vel Sacristiam, minor scientia requiritur; modo sciant præstare quæ pertinent ad Ordinis exercitium; & ideo saltem in Grammatica debent esse edocti, alias erunt irregulares, etiam de jure Divino, ita ut nec Papa posset cum eis dispensare. Hæc tamen irregularitas, sublata causa ignorantiæ, absque dispensatione de se aufertur; vide *lib.* 6. *num.* 791. *Qu. II. & III.* Hic autem advertendum, quod Episcopus bene potest a suis majorem scientiam requirere, quam requirit Concilium; vide *cit. num.* 791. *v. Advertendum* 2.

43. VI. Requiritur Titulus sustentationis, aliter Episcopus ordinans, vel Dimissorias tribuens, tenetur ipse Ordinatum alere, usque dum ille titulum habeat, ex *cap. Cum secundum de Præb. &c.* & *cap. Recepimus, de Ætate, & qualit. &c.* Id tamen intelligendum; nisi Episcopus inculpabiliter in hoc deceptus

ptus fuerit; vel nisi Ordinatus jam aliunde habeat unde vivere; *lib.* 6. *num.* 813. Qui autem ordinatur sine titulo, non solum graviter peccat, sed juxta probabiliorem sententiam etiam suspensionem incurrit; vide *lib.* 6. *num.* 720.

44. Titulum autem sustentationis triplex esse potest, Paupertatis, Beneficii, & Patrimonii. Titulo *Paupertatis*, tantum Regulares Professi ordinari valent. Seculares vero ordinari debent ad titulum Beneficii certi de præsenti, & sufficientis ad congruam sustentationem, juxta taxam Diœcesis originis, vel Beneficii si Beneficium riquirat residentiam; *lib.* 6. *n.* 815. & 816. Ad titulum vero *Patrimonii*, tantum *pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*, possunt Episcopi seculares ordinare, ut præscribit Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. Patrimonium autem constitui debet super re certa, & stabili, ac de sua natura frugifera, pacifice possessa, & libera ab omni onere. Sufficit autem census perpetuus, etiam redimibilis; *lib.* 6. *n.* 817.

45. Dubitatur 1. An incurrat su-

ſpenſionem, qui ordinatur cum Patrimonio ficto? Alii probabiliter negant; ſed probabilius alii affirmant; idque certum eſt in Diœceſi Neapolitana, vide *lib. 6. num.* 820. & 821.

46. Dubitatur 2. An juxta prædictam probabiliorem ſententiam, incurrat ſuſpenſionem, qui ordinatur cum Patrimonio vero donato, ſed data antapoca, vel fide de reddendo illo donanti poſt Ordinationem? Diſtingue, ſi donans verum habuerit animum donandi, non incurrit; quia pactum illud de reddendo Patrimonio, tanquam nullum, rejicitur, ut S. C. declaravit; quæ inſuper pluries declaravit, quamcunque alienationem Patrimonii, ſine licentia Epiſcopi, eſſe invalidam. Secus ſi donans haud habuerit intentionem donandi, quia tunc donatarius nullum rei dominium adeptus eſt; vide *lib. 6. num.* 822. 823. & 824.

47. VII. Requiritur, ut Ordo inferior ante ſuperiorem ſuſcipiatur; alias qui ſic per ſaltum ordinatur, ſuſpenſionem ipſo facto incurrit ab exercitio Ordinis ſuſcepti,

donec

donec Episcopus dispenset; *lib.* 6. *num.* 793.

48. VIII. Ut Ordo suscipiatur tempore debito. Ordines Majores tantum possunt suscipi in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, & Sabbato Sancto. Minores vero possunt accipi in quolibet Festo de præcepto, & etiam in Feria VI. ante Sabbatum generalis Ordinationis, & Feria IV. Quatuor Temporum, juxta consuetudinem receptam; *lib.* 6. *num.* 794. Qui autem ordinatur extra tempora, suspensionem ipso facto incurrit, *ibid.*

49. IX. Requiritur, ut Ordines suscipiantur per debita temporum Interstitia. Et I. Inter Ordines Minores requiritur aliquod intervallum: dicitur *aliquod*, quia illud minime determinatum est a Tridentino *sess.* 23. *c.* 11. ubi additur: *Nisi aliud Episcopo expedire videretur.* Potest tamen libere Episcopus Primam Tonsuram cum aliquo Ordine Minori conferre. II. Ut a Minoribus ascendatur ad Subdiaconatum, requiritur anni spatium: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ* (intelligitur

cui Ordinandus est adscriptus, *utilitas judicio Episcopi aliud expostat*. ut habetur in Trid. *loco cit.* III. Ut ascendatur a Subdiaconatu ad Diaconatum, requiritur etiam anni spatium; sed Episcopus in hoc ex quavis rationabili causa dispensare potest, nam in Trid. c. 13. dicitur: *Nisi aliud Episcopo videatur*. IV. Denique, ut a Diaconatu ascendatur ad Sacerdotium, requiritur saltem anni intervallum: *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur*, ut in Trid. *c.* 14.

50. Hic autem notandum 1. quod suscipiens duos Ordines sacros eodem die, suspensionem ipso facto ab ultimo Ordine suscepto, & insuper irregularitatem incurrit, *lib.* 6. *num.* 796. Qui vero eodem die susciperet quatuor Ordines Minores una cum Subdiaconatu, graviter quidem peccaret, sed non incurreret suspensionem; *num.* 797. *& sequ.* Notandum 2. quod si quis ordinatur non servatis Interstitiis, sed in diversis diebus, & in legitimis temporibus, peccat etiam graviter; sed probabilius neque suspen-

ſpenſionem incurrit; *num. 796. verſ. Dub.* 2. Notandum 3. quod Regulares ex ſuis Pontificiis Privilegiis bene poſſunt extra tempora ordinari cum licentia ſuorum Prælatorum, prout præſertim declaravit Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit. 5. c. 2.* Debent tamen ordinari in Feſto de Præcepto, ut videtur probabilius dicendum; vide *lib. 6. num. 797. Dub.* 4. Notandum 4. quod ſi quis ſacerdotium ſuſciperet omiſſo Diaconatu, eſſet quidem valide ordinatus, ſed non poſſet Sacerdotio fungi, niſi prius Diaconatum acciperet, ut habetur ex *c. unico*, *de Cleric. per ſalt.* Si quis autem Epiſcopatum ſuſciperet, non ſuſcepto Sacerdotio, invalide quidem ordinaretur.

51. X. Requiritur locus Ordinationis, nempe ut fiat ipſa in Eccleſia, & ut Epiſcopus reſideat in propria Diœceſi, nam ſi Epiſcopus in aliena Diœceſi ordinaret, ipſe incurrit ſuſpenſionem a Pontificalibus, & Ordinatus ab exercitio Ordinis ſuſcepti; *lib. 6. num. 798. verſ. Adde*.

52. XI. Requiritur Ætas debita,

quæ

quæ pro Prima Tonſura debet eſſe ſaltem ſeptem annorum, & Neapoli ſaltem decem. Ordines Minores regulariter conferri poſſunt ab anno 7. ad 14. Subdiaconatus anno 22. Diaconatus 23. Presbyteratus 25. vide Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 22. Ætas computatur non a die Baptiſmi, ſed nativitatis. Sufficit autem, ut annus ſit incœptus, prout communis uſus habet. Pro Beneficiis ſimplicibus accipiendis ſufficit annus 14. ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. ſed ſi Beneficium ſit curatum, requiritur annus 25. Trid. *ibid. c.* 12. Pro Canonicatu annus 22. Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 4. quamvis in Collegiatis ſufficiat annus 14. Pro Epiſcopatu requiritur annus 30. vide *lib.* 6. *num.* 799.

53. Notandum autem, quod ſi quis ſcienter ordinatur ante legitimam ætatem, ipſo facto perpetuam incurrit ſuſpenſionem, a qua abſolvi nequit niſi a Papa, vel ab Epiſcopo, ſi fuerit occulta, ex *cap. Liceat*, Tridentini *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *vide lib.* 6. *num.* 799. Diximus *ſcienter*, nam Pius II. hanc ſuſpenſionem impoſuit tantum eis, qui

ex

ex temeritate sic ordinantur: unde ignorantia crassa illos probabilius ab ea excusat, ita ut, completa ætate, bene poterunt Ordinem exercere; *ibid. Dub.* 1. & 2.

54. An autem qui ante ætatem suscipit sacerdotium, irregularitatem incurrat? Alii affirmant, quia (ut dicunt) Neo-Presbyter concelebrando cum Episcopo vere consecrat, & ideo jam exercet Ordinem susceptum cum suspensione. Sed alii communius, & valde probabiliter negant, cum æquum non videatur, ut quis eadem actione morali duplicem incurrat pœnam, nempe suspensionem, & irregularitatem. Testaturque *Suarez*, ex stylo Cancellariæ hujusmodi Ordinatos non censeri irregulares. Et idem dicendum de Diaconis, & Subdiaconis, nisi in eadem Ordinatione Ordinem jam susceptum ultro exerceant. Unde Neo-Presbyteri tunc concelebrando cum Episcopo, & Diaconi aut Subdiaconi in eadem Missa ministrando (saltem si ultro ad ministrandum se offerunt) irregularitatem certe incurrunt; *lib.* 6. *n.* 799. *Dub.* 3.

55. XII. Ut Initiandus ad Ordinem

dinem superiorem ascendat, requiritur ut exercuerit Ordinem prius susceptum: Sed juxta *Salmant. de Ord. c. 4. num.* 74. hoc non est de præcepto gravi.

56. XIII. & ultimo requiritur Vocatio Divina, ex illo Apostoli: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Hebr. c.* 4. Signa autem Divinæ Vocationis sunt, I. Scientia conveniens. 2. Intentio recta vacandi Deo, Animarumque saluti. 3. Probitas vitæ, quæ maxime requiritur ad veram Vocationem agnoscendam, ex illo Tridentini: *Sciant Episcopi debere ad hos Ordines assumi dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Sess.* 23. *c.* 12. Utque docet Divus Thomas *Suppl. q.* 35. *a.* 1. *ad* 3. ubi: *Non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiritur bonitas excellens*: Hanc rationem assignans: *Ut sicut illi qui Ordinem suscipiunt super plebem constituuntur, ita & superiores sint merito castitatis*. Hinc si quis absque his signis, & consequenter sine Vocatione Divina ascendit ad Altare, nequit a gravi culpa excusari, tum

ob

ob gravem præsumtionem, qua non vocatus in sacrum ministerium se intrudit, ut ait S. Anselmus: *Quis enim se ingerit, & propriam gloriam quærit, Gratiæ Dei rapinam facit, & ideo non accipit benedictionem, sed maledictionem*. Tum ob magnum periculum damnationis, cui se exponit, ut sapienter loquitur Episcopus Abelly: *Qui sciens, nulla Divinæ Vocationis habita ratione, se in Sacerdotium intruderet, haud dubie seipsum in apertum salutis discrimen injiceret*. Et tanto magis graviter peccant Episcopi, qui tales ad Ordines admittunt, transgrediendo præceptum illud Apostoli: *Manus cito ne imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Quæ verba exponens S. Leo (*Epist. I. alias* 87. *ad Afric.* 2.) dixit: *Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici Ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari?* Hinc in *c. Nullus, Dist.* 24. universe Episcopis sic præcipitur: *Nullus ordinetur, nisi probatus fuerit*.

57. Refert hic autem in unum advertere ex prædictis, quinam illegitime ordinati suspensionem ipso

facto

facto incurrant. Incurrunt I. Qui ordinantur sine Dimissoriis sui Ordinarii, vel sine ejus Litteris Testimonialibus, cum ordinantur ab Episcopo Beneficii. 2. Qui eodem die duos sacros Ordines suscipiunt. 3. Qui ordinantur extra tempora. 4. Qui Ordinantur ab Episcopo manente in aliena Diœcesi, sine licentia Episcopi loci. 5. Qui scienter ordinantur ante legitimam Ætatem. 6. Qui ordinantur per saltum, omisso Ordine præcedenti. Adde ultimo loco, qui ordinatur per simoniam; hic enim manet ipso facto suspensus ab Ordine simoniace suscepto, & impeditus ascendere ad superiores: Id tamen non currit, si simonia sit commissa ab alio, ignorante Ordinato; vide *lib. 3. num. 109.*

CAPUT III.

De Ordinibus in specie.

ARTIC. I.

De Prima Tonsura.

58. PRima Tonsura non est Ordo, sed præparatio, sive dispositio ad Ordines, cum nullum officium habeat circa ministerium Altaris; ita communiter Theologi cum *D. Thoma suppl. Q.* 40. *a.* 2. Et probatur ex Trident. *sess.* 13. *c.* 2. ubi Tonsuræ sumtio præcipitur, sicque dicitur: *Ut qui jam Tonsura insigniti essent, per Minores ad Majores Ordines ascenderent*. Ergo Tonsura inter Ordines minime numeratur; vide *lib.* 6. *num.* 734.

59. Clericus significat *in sortem vocatus*, scilicet ad cultum Deo præstandum. Tonduntur ei capilli in modum Coronæ ad significandam Regiam dignitatem eorum, qui in sortem Domini vocantur. Dicit Catechismus Romanus, S. Petrum Primam Tonsuram instituisse.

60. Ut

60. Ut quis possit tonsurari, requiritur 1. Ut sit mas. 2. Ut sit confirmatus. 3. Ut sciat legere, & scribere, ac saltem Grammaticam, præter rudimenta fidei. 4. Ut habeat animum Deo inserviendi.

61. Qui ordinatur sine Tonsura, graviter quidem peccat contra præceptum Tridentini, sed valide ordinatur; verum manet suspensus usque ad beneplacitum Episcopi. Qui autem aliquem Ordinem jam susceperit sine Tonsura, non tenetur eam postea recipere; quia per Ordinem susceptum jam fuit idoneus factus ad alios suscipiendos.

62. Effectus, & Privilegia Tonsurati hæc sunt: I. Tonsuratus transfertur ad statum Clericalem; unde acquirit privilegium *Fori*, quo eximitur a jurisdictione Fori Laicalis; modo deferat habitum, & Tonsuram, ac alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat; aut modo Beneficium habeat, aut versetur in Seminario, vel in aliqua Schola de licentia Episcopi, ut habetur in Trident. *sess.* 23. *c.* 6. II. Acquirit etiam privilegium *Canonis*, ita

ut

ut eum percutientes injuriose incurrant excomunicationem reservatam Papæ, si percussio est gravis, Episcopo vero si levis. III. Tonsuratus fit capax Beneficii Ecclesiastici, modo habeat 14. annos. IV. Fit capax etiam omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ, ad conferenda Beneficia, ferendas censuras, & judicandas causas spirituales.

63. Beneficiatus peccat graviter, si non deferat Habitum, & Tonsuram; & post monitionem incurrit insuper suspensionem ab Ordinibus susceptis, atque privationem Officiorum, & Beneficiorum. Omnes tamen hæ pęnæ sunt ferendæ sententiæ, ut patet ex Trident. *sess.* 14. *c.* 6. Neque huic obstat Bulla Sixti V. *Cum sacrosancta*, edita die 9. Jan. 1588. ubi Beneficiati non deferentes Habitum declarantur ipso jure privati suis Beneficiis; nam id dispositum fuit tantum pro Urbe Romæ, & postquam mandatis sub certo termino ipsi non obedierint; vide *l.* 6. *n.* 825.

64. Privantur autem Beneficiati, & etiam in Sacris Constituti, Habitum non deferentes, privilegio

tam

tam Fori, quam Canonis, si post tertiam monitionem illum non reassumant, ex *c. Contingit*. 45. *de sent. excom.* vide *lib. 6. num.* 827. Simpliciter autem Tonsurati, aut Clerici tantum ad Ordines Minores promoti, sine Beneficio, non peccant graviter, sed nec gaudent privilegio Fori, si actu Habitum non deferant, & Ecclesiæ non inserviant, ut habetur in Trident. *sess.* 23. *c.* 6. Gaudent vero semper ac Habitum reassumunt; nisi hoc faciant in fraudem, puta si fuerint in carcere conjecti, vel jam citati in Foro Laicali; vide *lib. 6. num.* 827. Aliter tamen dicant DD. de privilegio Canonis; vide *ibid.* An autem peccet qui Tonsuram suscipit ad accipiendum Beneficium, sine animo permanendi in statu Clericali? vide *lib.* 4. *num.* 113. ubi dicitur peccare, sed probabiliter tantum venialiter.

AR-

ARTIC. II.

De Minoribus Ordinibus.

85. ORdines Minores quatuor sunt: Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, & Acolythatus. Dicuntur ipsi *Minores* propter minora officia, quæ ab Ordinatis exercentur circa Missam, aut in Ecclesia.

SECTIO I.

De Ostiariatu.

66. OStiariatus *est Ordo, quo confertur potestas aperiendi, claudendi, & custodiendi Ecclesiam*.

67. Officium Ostiarii, præter dicta, est etiam pulsandi campanas, necnon admittendi dignos in Ecclesia, & expellendi indignos, scil. Infideles, Hæreticos, & Excommunicatos.

68. Materia *Remota* Ostiariatus sunt Claves Ecclesiæ. *Proxima*, Clavium traditio. Forma sunt verba Ordinantis, & dicentis: *sic age quasi*

quasi redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. Claves debent esse propriæ Ecclesiæ, nec possunt aliæ substitui. Debentque tangi ab Ordinando. Hic autem sedulo notandum, quod in sacramento Ordinis materia omnino tradenda est ab ipso Ordinante, alias Sacramentum invalide ministratur. vide *lib. 6. num.* 744.. Et ab eodem Missa celebrari; *ibid.*

SECTIO II.

De Lectoratu.

69. LEctoratus *est Ordo, quo confertur potestas legendi Scripturas Sacras in Ecclesia.*

70. Materia *Remota* est liber Prophetiarum, & Epistolarum. *Proxima*, illius traditio. Forma sunt verba: *Accipe, & esto verbi Dei relator, &c.*

71. Officium igitur Lectoris est legere Sacras Scripturas (intellige extra Missam, nam in Missa officium est Subdiaconi) Est etiam Catechumenos instruere.

72. Si loco libri Epistolarum, sive

ve *Lectionarii*, traderetur Biblia, aut Breviarium, valida quidem & licita esset Ordinatio; secus si alius liber; vide *lib. 6. n.* 745.

SECTIO III.

De Exorcistatu.

73. **E**Xorcistatus *est Ordo, quo datur potestas expellendi Dæmones ab Obsessis, ne ipsos impediant a Communione.*

74. Materia *Remota* est Liber Exorcismorum. *Proxima*, ejus traditio. Forma: *Accipe & habe potestatem imponendi manus super Energumenos, &c.* Exorcismus est formula quædam ab Ecclesia instituta, ad Dæmones fugandos in nomine Jesu Christi.

75. Ut possit autem Exorcista sollemniter exorcizare, requiritur etiam collatio Jurisdictionis sive licentia Episcopi. Id tamen non est ob jus commune, sed ob particulare Episcoporum prohibentium exorcizare sine eorum licentia; *lib. 6. num.* 745. Dictum est *sollemniter*, nam quisque Fidelis potest priva-

tim imperare Dæmonibus ne noceant aut impediant Fideles ab actionibus sacris; vide *lib. 3. num...*

SECTIO IV.

De Acolythatu.

76. Acolythatus *est Ordo, quo datur potestas ferendi urceolos ad Altare, & candelabra, luminaque in ipso accendenda.* Materia *Remota* sunt urceoli vacui, & Candelabrum cum cereo extincto. *Proxima*, horum traditio. Forma: *Accipe ceroferarium &c.* Et *Accipe Urceolos, &c.* Utraque materia est essentialis, sed nobilior sunt Urceoli, quia vinum & aqua magis sunt ad Missam necessaria. Hæ autem materiæ sunt partiales, unam totalem constituentes. Character vero non in Candelabri, sed in Urceolorum traditione imprimitur; quia tunc principalior traditur potestas; vide *lib. 6. num.* 745.

AR-

ARTIC. III.

De Ordinibus Majoribus.

SECTIO I.

De Subdiaconatu.

77. SUbdiaconatus *est Ordo, quo traditur potestas, per quam Ordinatus potest deferre Calicem ad Altare, ministrare Diacono, & legere Epistolam in Missa.*

78. Materia *Remota* Subdiaconatus est duplex, nempe Calix vacuus, & Patena vacua; necnon liber Epistolarum. Materia *Proxima* est horum traditio. Calix autem probabiliter debet esse consecratus, ut plures DD. sentiunt: Unde ipsorum sententia in praxi sequenda est; *lib. 6. num.* 747. Sic etiam omnino requiritur traditio libri Epistolarum; *num.* 746. *Dub.* 1.

79. Forma autem sunt verba Episcopi: *videte cujus ministerium vobis traditur*, &c. Et altera: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas &c.* Duplici

enim materiæ duplex adhibetur forma partialis.

80. Officium Subdiaconi, ultra prædicta in Altari, est deferre Crucem, & lavare Corporalia.

81. Peccaret mortaliter Subdiaconus, si absque Manipulo sollemniter ministraret in Missa, nisi urgeret necessitas; *Suarez de Censur. Disp.* 42. *Sect.* 2. An autem graviter peccet Subdiaconus ministrans in mortali? Vide dicta *num.* 18. *vers. Diaconi*.

82. Clericus exercens officium Subdiaconi sine Manipulo, vel cum Manipulo, sed non intendens ex officio actum illum exercere, non incurrit irregularitatem. Secus si cum Manipulo intenderet exercere officium proprium Subdiaconi; *lib.* 7. *num.* 358.

83. Ut quis ad Subdiaconatum possit promoveri, requiritur 1. Ut sit ordinatus in Minoribus. 2. Ætas 21. annorum completorum. 3. Titulus sustentationis, de quo vide infra dicta *num.* 43. *&* *sequ.* 4. Ut bene sciat quæ pertinent ad suum munus. 5. Examen, quod debet quidem rigorosius esse in Subdiaco-

diaconis, ut recte advertit *Homobonus*, Pœnitentiarius in Ecclesia Bononiensi; & signanter circa Subdiaconi obligationes, nempe servandi voti castitatis, recitandi Officium, habendi Titulum sustentationis: Necnon refert Subdiaconos examinare circa Censuras, & Irregularitates. De his singulatim hic principaliora rudimenta breviter recensebimus.

§. I.

De Voto Castitatis.

84. SUbdiaconus ex præcepto S. Gregorii Papæ in *c.* 1. *Dist.* 28. tenetur votum castitatis emittere. Hinc probabilius obligatio castitatis in Ordinatis in sacris est verius ex vi voti Ordinibus annexi, quam præcepti Ecclesiæ. At si quis Ordinem suscipiendo expresse nollet castitatem vovere, tunc iste saltem ex præcepto Ecclesiæ ad castitatem teneretur. Hocque dicendum, etiamsi nesciret hanc obligationem, modo vellet vere Ordinem suscipere; & adhuc si inculpate nesciret,

ut valde probabiliter plures DD. docent; vide *lib. 6. num.* 809. *Dub.* 1. & 2.

85. Qui autem ordinaretur ante usum rationis, hic non teneretur ad castitatem. Qui vero ordinatur ante pubertatem, an ad castitatem teneatur? Adest duplex sententia, utraque probabilis; *num.* 810.

86. Qui ordinatur per metum extrinsecum injuste incussum, & non habet animum suscipiendi Ordinem, non tenetur ad castitatem: Et etiamsi animum haberet, probabilius nec teneretur, quia votum emissum ob metum probabilius est invalidum. Secus, si metus fuerit juste incussus; vel si Ordinatus scienter suam Ordinationem ratificaret, nempe si ultro Ordinem exerceret; vide *lib. 6. num.* 811.

§. II.

De Horis Canonicis.

87. PRimo loco hic refert adnotare Propositiones damnatas ab Alexandro VII. nimirum Propos. 20. dicebat: *Restitutio fructuum*

non

non debetur ante sententiam. Prop. 21. *Habens Beneficium, si studio vacet, satisfacit recitando per alium*. Prop. 33. *Restitutio fructuum suppletur per eleemosynas antea factas*. Prop. 34. *satisfacit dicens Officium Paschale pro Officio diei Palmarum*. Prop. 35. *Cum uno Officio potest satisfieri obligationi duorum dierum*. Item Innocentius XI. damnavit Propos. 54. *Qui nequit recitare Matutinum, non tenetur ad alias Horas*.

88. Quæritur I. Quinam teneantur ad Horas? Tenentur I. Omnes Ordinati in sacris, etiam si sint excommunicati, suspensi, & degradati. Ordinatus autem ad Subdiaconatum, in die Ordinationis tenetur ad Horam correspondentem horæ, qua ordinatur. Tenentur II. Religiosi professi utriusque Sexus, hocque ex antiqua consuetudine. Et tenentur etiam profugi; non autem ejecti; *lib.* 4. *num.* 142. Tenentur III. pariter Beneficiati, alias fructus omnes Beneficii restituere tenentur, ex Concilio Lateranensi, S. 9. §. *statuimus*, ubi dictum fuit: *statuimus, ut quilibet habens Bene-*

 ficium

ficium, *si post sex menses*, *obtento Beneficio*, *Officium Divinum non dixerit*, *fructus non faciat suos pro rata recitationis*. Et si talis post monitionem adhuc pergit omittere, potest etiam Beneficio privari. Deinde S. Pius V. in *Constit.* 186. quæ incipit, *Ex Proximo Lateranensi*, decrevit quod qui relinquit Matutinum, restituat partem dimidiam fructuum correspondentium illi diei: Qui ceteras alias Horas, aliam dimidiam: Qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem; vide *lib.* 3. *num.* 663. Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter Officium diei ad gravem materiam pertingit; *num.* 668. Qui autem hodie supplere vellet Officium heri omissum, minime liberatur a restitutione, *num.* 667. Hæcque restitutio debetur ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est absolute necessaria ad lucrandos fructus, cum sine ipsa nequeat Beneficiarius facere fructus suos, ut præfatum Concilium sancivit; vide *lib.* 3. *num.* 665. & *lib.* 4. *num.* 143. *Qu.* I. *vers. Sed dices*.

89. Re-

89. Restiturio autem tunc facienda est vel pauperibus (cujuscunque loci) vel fabricæ Ecclesiæ, vel Domui Beneficii, vel in augumentum agrorum ipsius: potest etiam fieri in refectionem alterius indigentis Ecclesiæ, si propria non eget, vel si fabrica alienæ Ecclesiæ redundaret in utilitatem pauperum; potest etiam applicari in Missis pro Defunctis; & potest Beneficiatus adhuc applicare eam sibi ipsi, si vere pauper sit, modo non faciat in fraudem; *lib.* 4. num. 672. Si quis autem post omissionem dederit eleemosynas immemor, vel forte ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas computare, ut dicunt *Sanch. Suar. Lugo, Laymann. Salm. Croix.* &c. *vide lib.* 3. *num.* 700. *vers. Limitans*.

90. Probabiliter etiam dicunt *Sotus*, *Less. Vasquez, Bonac. Sanch. Salm. &c.* quod si Beneficiarius alia onera habet, quibus jam satisfecerit, non tenetur omnes fructus restituere. Secus tamen dicendum (quicquid dicant aliqui) de simplici Beneficiato, qui nullum aliud onus haberet, nisi deferendi Ha-

bitum; vide *lib.* 3. *num.* 673. *Qu.* 10.

91. An autem excommunicatus toleratus teneatur ante sententiam restituere fructus Beneficii, si onera ipsius impleverit? Aliqui affirmant; sed probabilius, & communius alii negant, quia non tenetur reus, nisi post sententiam subire pœnam, quæ actionem requirit; Ceterum excommunicati tolerati valide jam Sacramenta ministrant, Horasque persolvunt; vide *lib.* 3. *num.* 670.

92. Sic etiam probabiliter non tenetur ad restitutionem qui recitat sine attentione interna; cum opinio quod sufficiat ad satisfaciendum, si habeatur intentio, & attentio externa, non sit improbabilis, vide *lib.* 3. *num.* 669. & *lib.* 4. *num.* 177. vide infra *num.* 114.

93. Præterea notandum, quod S. Pius in præfata Constitutione declaravit, quod Beneficiati, si intra primos sex menses Officium omittant, licet non teneantur ad restitutionem, tamen non excusantur a peccato mortali; vide *lib.* 3. *num.* 663. Hinc omnino dicendum, quod

Bene-

Beneficiarii, etiamsi vellent fructus restituere, omittendo Officium, graviter peccant, cum ipsos quovis tempore Ecclesia ex motivo Religionis ad Officium obstrinxerit; *lib.* 4. *num.* 145. *Qu.* II.

94. Graviter igitur peccat, qui intra sex menses (ut dictum est) Officium omittit, sed non tenetur ad restitutionem, quicquid aliqui dicant; quia juxta communem sententiam restitutio fructuum non jam debetur de jure naturali; fructus enim non dantur pro mercede recitationis, sed pro sustentatione Beneficiarii, cum onere tamen Officii, imposito ab Ecclesia (ut diximus) ex motivo Religionis, & ideo nulla ante Concilium Lateranense restitutio præcipiebatur. Concilium autem restitutionem præcipit tantum omittentibus post sex menses; *lib.* 3. *num.* 666.

95. Ob eandem rationem non tenetur ad restitutionem, qui omittit Officium recitare sine culpa; quia licet (ut dictum est *num.* 88.) restitutio ante omnem sententiam facienda sit, tamen cum ipsa in pœnam præcepta sit, omnino culpam

requirit, ut recte dicunt *Lessius*, *Sanchez*, *Concina*, *Viva*, & alii communius, contra paucos; *lib.* 3. *num.* 665.

96. Pariter ob eandem rationem Subdiaconus Beneficium habens, si Officium omittit, unum tantum committit peccatum; cum ex uno motivo Religionis ad illud teneatur; *lib.* 4. num. 145. *Qu.* I.

97. Dubitatur. 1. An teneatur ad Officium Beneficiarius qui fructus non percipit? Minime tenetur, si ipse non negligenter se gerat in illis exigendis. Excipe, nisi ipse in pœnam alicujus criminis sit fructibus juste privatus; Vel nisi certam spem habeat percipiendi illos sequentibus annis. Quid si super Beneficio lis vertat? Resp. Si Beneficiarius nondum acceperit illius possessionem, non tenetur ad Officium, nisi per ipsum stet quin statim possessionem adipiscatur. Si vero jam acceperit, tenetur casu quo spem certam habeat vincendi litem; secus si sit in dubio; *lib.* 3. *num.* 64.

98. Dubitatur 2. An teneatur ad Officium habens Beneficium tenue?

Alii

Alii affirmant; sed alii plures negant, quia tenue Beneficium ex *c. Is* cui, *de Præbend. in 6.* ut verum Beneficium non habetur. Dicunt autem, illud esse tenue Beneficium, quod non pertingit ad tertiam partem sustentationis; *lib. 3. num.* 674.

99. Dubitatur 3. An Beneficiarius male expendens fructus Beneficii teneatur ad restitutionem? Plures graves DD. probabiliter negant, ut *S. Antonin. Less. Cabass. Sanch. Salm.* & alii cum *D. Thoma* 2. 2. *qu.* 185. *a.* 7. ubi ait Præbendas haberi ut bona patrimonialia. Alii tamen probabilius affirmant, ut *Laym. Bonac. Nav. Petroc. Concina*, *&c.* quia Beneficiarii ex justitia tenentur fructus superfluos pauperibus, vel locis piis erogare; quia saltem Ecclesia non concedit ipsis dominium fructuum, nisi sic limitatum; *lib. 3. num.* 492.

100. Hic autem sedulo advertendum, quod Regnans P. Benedictus XIV. in Brevi ad Card. Delphinum Patriarcham Aquilejensem, emanato die 19. Jan. 1748. declaravit Canonicos Choro non interessentes, vel

ibi

ibi non canentes, nedum Distributiones quotidianas amittere, sed etiam ad restitutionem teneri fructuum suarum Præbendarum; vide *lib. 3. num. 675. vers. Dub. 3.*

101. Quæritur II. Quanta sit Obligatio Officii? Certum est peccare graviter, qui omittit notabilem officii partem. Ceterum censetur parva materia omissio minoris partis, quam parva hora; *lib. 4. num.* 147. Qui autem omnes septem Horas omittit, probabilius unum committit peccatum; quia omnes Horæ unum integrum Officium componunt; *num.* 148.

102. Qui officium projiceret in mare, tot peccata committeret, quot omissiones dierum prævideret; quia singulæ omissiones Officii, ad quemlibet diem pertinentes, sunt singulæ transgressiones; & hic eas jam prævidens jam peccaret in causa; *num.* 149

103. An in dubio, utrum aliquid ex Officio sit vel ne omissum, an repetendum? Repetendum quidem in dubio negativo, scil. si nullum prudens motivum habes quod jam dixeris; secus si dubium est positi-

ſitivum, nempe ſi probabiliter credas dixiſſe; ita *Navarr. Sanch. Laymann, Lugo, Tournely, Palaus, Salm. Roncaglia, &c.* vide *lib.* 4. *num.* 150.

104. Quæritur III. Quæ requirantur ad Horas bene recitandas? Requiritur I. Ut recitentur juxta *Præſcriptum Breviarii Romani*. Unde improbabilem cenſemus opinionem eorum, qui dicunt non peccare mortaliter qui commutat Officium in aliud notabiliter brevius, ut diximus *lib.* 4. *num.* 161. An autem ſit mortale mutare in æquale, vel quaſi? Adeſt duplex probabilis ſententia. Æquius tamen videtur dicendum cum aliis eſſe mortale, ſi mutatio ſit frequens; veniale ſi raro, puta ter vel quater in anno; & nullum, ſi id fiat cum cauſa, nempe itineris, ſtudii &c. Ratio, quia licet Officium recitandum eſt juxta formam individualem Breviarii, ut præcepit S. Pius V. in Bulla, *A Nobis*, deſcripta in Breviariis, dicendo: *Neminem ſatisfacere, niſi hac ſola forma*. Tamen probabile eſt Pontificem in hac forma præſcribenda, magis reſpexiſſe

ſpexiſſe ad formam ſubſtantialem, quæ eſt quantitas Officii, quam ad accidentalem, nempe ad illius qualitatem. Et ideo commutatio non videtur culpam venialem excedere. Id tamen frequenter facere, eſſet mortalis culpa; quia (ut recte ait *Laymann*) eſſet gravis perverſio ordinis; *lib.* 4. *n.* 161.

105. His poſitis, probabile eſt 1. Quod ſi alio pergis, potes recitare Officium illius loci; niſi fueris Religioſus, quia teneris recitare Officium Breviarii tui Ordinis. 2. Quod Capellani, & Commenſales Cardinalium, & Epiſcoporum poſſunt eis conformari in Officio. Et idem dicunt DD. de Capellanis Monialium, & de iis qui obeunt Exercitia ſpiritualia apud Religioſos. 3. Quod poſſis recitare Officium ſocii, quia ipſa aſſociatio excuſat, (vide *dict. num.* 161. *v. Juxta*); modo Officium non ſit notabiliter brevius; *ibid. Qu. IV.*

106. Si quis advertit erraſſe poſtquam multum proceſſit in officio indebito, poteſt vel proſequi, vel recitare reliquum de debito; ſed melius erit recitare de proprio, niſi

vellet

vellet alia die non impedita Officium dicere de Sancto illo, quod probabiliter admittunt plures DD. *num.* 161. *Qu. V.*

107. Ex consuetudine autem introducta gravis est obligatio recitandi Litanias S. Marci, & Rogationum, ac Officium Defunctorum, etiam in privato; *lib.* 4. *n.* 160. *Qu. I. & II.*

108. Requiritur II. *Pronuntiatio vocalis*. Hic dubitatur, an recitans debeat se audire? Alii affirmant, alii tamen non improbabiliter negant, ut *Sylvius*, *Tournely*, *Laym. Salmant. &c.* quia non jubetur auditio, sed pronunciatio; ad quam non oportet elevare vocem, sed sufficit formare aliquem externum sonitum, qui semper adest, cum verba proferuntur; *num.* 163. Submisse recitans in Choro bene satisfacit, *ibid.* sed non Canonicus, qui tenetur canere, juxta dicta *n.* 100.

109. Recitanti autem in Choro sufficit, si audiat alteram partem in confuso, vel tantum unum ex ea. Quid si non satis percipis in materia notabili alteram partem, propter culpam Chori, aut socii? Alii

di-

dicunt, quod teneris repetere non auditum: Alii plures negant, quia per ipſam ſocietatem, & tuam applicationem moraliter jam communicas; *lib.* 4. *num.* 163. *Qu. II.* Surdus autem non ſatisfacit, quidquid alii dicant. Secus vero dicendum de ſurdaſtro, ſi audiat ſaltem in confuſo. *Ibid. Qu. II.*

110. III. *Pronunciatio integra*, ideſt ſine mutilatione, qua ſenſus verborum notabiliter varietur. Valet tamen Officium, ſi aliqua ſaltem ſervetur ſignificatio verborum, *num.* 165.

111. IV. *Pronunciatio continuata*, ſcilicet ſine interruptione in qualibet Hora, quæ inducit veniale, niſi aliqua excuſet cauſa; *lib.* 4. *n.* 166. Matutinum autem etiam ſine cauſa poteſt a Laudibus ſeparari; ut pariter tres Nocturni, ſaltem per tres horas; *num.* 167. Facta tamen interruptione, adhuc culpabili, probabilius non teneris Horam repetere; cum quilibet Pſalmorum verſus ſuam habeat ſignificationem. *num.* 168.

112. V. *Horarum Ordo*, ſcilicet ne invertatur. Inverſio tamen non

erit

erit nisi venialis, etiamsi fiat frequens; & etiam in Choro, ut probabilius ajunt *Cajet. Gavant. Laym. Sanch. Bonac. &c. lib.* 4. *n.* 170. & 171. Celebrare autem Missam ante Matutinum, probabilius nec est nisi veniale; vide *lib.* 6. *num.* 347.

113. VI. *Tempus præfixum*. Tempus Matutini incipit ab hora Vesperarum diei antecedentis usque ad meridiem subsequentis; *lib.* 4. *num.* 174. Idque procedit etiam de Officio Defunctorum extra Chorum. *Qu. II.* Non autem de Litaniis; *Qu. III.* An autem satisfaciat dicens Matutinum pridie hora secunda post Meridiem? Negandum est (quicquid alii dicant), sed servandum Directorium Romanum; quia tunc nondum incepta est hora Vesperarum, quæ est media inter meridiem, & occasum; *num.* 174. *Qu. I.* Tempus autem Horarum incipit a media nocte ad meridiem: Vesperarum, & Completarum, a meridie ad mediam noctem; *num.* 173. *v. Tempus.*

114. VII. *Intentio*, & *Attentio*. Requiritur *Intentio* (scilicet orandi),

ſaltem virtualis, nempe ſi ab initio ſumſeris Breviarium ad recitandum. Communiſſime autem, & probabilius non requiritur Intentio ſatisfaciendi obligationi; quia implens non poteſt non implere, cum ſatisfactio pendeat a voluntate legis; *lib.* 4. *n.* 176. Requiritur inſuper *Attentio*, ſaltem externa, ſcil. ne apponatur actio incompatibilis cum attentione interna. An autem requiratur etiam interna? Alii affirmant requiri, vel ad Deum, vel ad ſenſum, vel ſaltem ad verba ut recte pronuncientur; quia alias (ut ſuſtinent) non eſſet Oratio. Alii vero negant, dicentes veram eſſe Orationem, quæ fit cum intentione orandi, & attentione externa; alias (ajunt) ſi attentio interna de eſſentia Orationis eſſet, etiam involuntarie diſtractus nec ſatisfaceret. Ceterum conveniunt omnes, quod ut dicatur quis non implere, oportet ut non ſolum advertat diſtractionem, ſed adhuc ut plene advertat ſe diſtrahi ab Officio; alias, licet voluntarie ſe diſtrahat, non tamen voluntarie ſe diſtrahit a recitatione. Scrupuloſi autem propter di-

ſtra-

ſtractiones nunquam tenentur repetere; *lib. 4. n. 176. & 177.*

115. Quæritur IV. Quænam excuſent a recitatione Officii? Excuſat I. *Infirmitas* gravis, ſive grave incommodum. Laborans autem tertiana, vel quartana, tenetur recitare; & etiam anticipare, ſi commode poteſt; non tenetur tamen anticipare Matutinum in die præcedenti, nullus enim obligatur ſuo privilegio uti. Si quis tamen commode poteſt, tenetur dicere Officium cum ſocio. In dubio vero, an ob recitationem graviter lædaris, non teneris; ſecus in dubio, an excuſeris, niſi jam habeas probabilem rationem: melius eſt tunc, ut te remittas Medico, aut Superiori, vel ſaltem Viro prudenti. Quando autem urget morbus, ſi nequis recitare totum, nec teneris ad partem; quia alias magna ſupereſſet ibi ſcrupuloſa anxietas, an pergere poſſis vel ne in reliquis recitandis; ita *Suarez, Nav. Sanch. Lugo, Cardenas, Roncaglia, &c. lib. 4. num.* 194. II. *Impedimentum* juſtum, puta ſi quis occupetur in officio charitatis, quod non poſſet omitti ſine

ſcan-

ſcandalo, aut notabili detrimento proprio, aut alieno: puta ſi nequiret differre Concionem ſine nota, vel Confeſſiones aliorum in magno concurſu; *num.* 156. III. *Cęcitas*. *num.* 157. IV. *Carentia* Breviarii. Teneris tamen dicere quæ mente retines, modo pertingat ad quantitatem ſaltem parvæ Horæ. Et ſi cares Officio proprio, teneris recitare ex communi. Item, ſi abſque magno incommodo potes ſocium adhibere, teneris. An autem Beneficiarius teneatur etiam conducere ſocium? Adeſt duplex ſententia probabilis; *num.* 158. V. *Diſpenſatio* Pontificis; & etiam proprii Epiſcopi, ad breve tamen tempus, ſi adſit cauſa, puta ſi dubitetur de morali impotentia; *num.* 159.

§. III.

De Cenſuris in genere.

116. Quæritur I. Quid & quotuplex eſt cenſura? *Cenſura eſt pœna ſpiritualis, & medicinalis, per quam delinquenti, ac contumaci per Eccleſiaſticam poteſtatem*

tem aufertur usus quorundam spiritualium bonorum.

117. Dividitur censura 1. in Excommunicationem, suspensionem, & Interdictum. 2. In eam quæ est *a jure*, nempe quæ fertur per legem generalem, & permanentem; & eam quæ est *ab homine*, quæ scilicet fertur a Prælato per particularem sententiam. 3. In eam quæ dicitur *latæ sententiæ*, quæque incurritur ipso facto; & *ferendæ sententiæ*, quæ non incurritur nisi post sententiam, prout sunt censuræ latæ verbis futuri temporis; vide *lib. 7. ex num. 6. ad* 8.

118. Quæritur II. Quis potest ferre censuras? Potest omnis superior Ecclesiasticus habens jurisdictionem in foro externo; vel *ordinariam*, prout Pontifex, Concilia, Episcopi, & ipsorum vicarii, vicarii Capitulares, Prælati Regulares, eorumque Capitula: vel *delegatam*, ut sunt ii, quibus ab habente ordinariam facultas committitur; *lib. 7. num. 9. ad* 11. An autem Episcopus existens in sua Diœcesi possit ligare censuris subditum in aliena existentem, pro crimine tamen in

pro-

propria commisso? Negant aliqui; sed affirmandum cum communi sententia; *num.* 22.

119. Quæritur III. Quid requiratur, ut quis possit ligari censura? Requiritur 1. Ut sit homo. 2. Ut sit baptizatus. 3. Ut sit rationis compos. 4. Ut sit persona determinata. 5. Ut sit subditus: *lib.* 7. *num.* 13. *v. Ut igitur.*

120. Episcopus autem bene potest ligare censuris alienum subditum delinquentem in sua Diœcesi, *ex cap. fin. de Foro compet.* Modo causam jam inceperit recognoscere, vel saltem Reum citaverit, antequam ille a suo territorio exierit: *lib.* 7. *num.* 26. Et modo, adde, Reus sit jam in contumacia constitutus; vide *lib.* 6. *num.* 91. *v. Incurrent.* Notandum vero, quod Peregrini nequeunt censuris ligari ab Ordinario loci per sententiam particularem; sed bene ligantur per statutum generale, si ipsi jam ibi quasi domicilium contraxerint; *lib.* 7. *num.* 27.

121. Quæritur IV. Quid requiratur ad incurrendam gravem censuram, puta excommunicationem majorem,

jorem, vel ſuſpenſionem totalem, aut ad longum tempus? Requiritur 1. Peccatum grave, & ut materia ſit etiam per ſe gravis, aut ſaltem valde conducens ad finem intentum; Et in dubio ſuperioris præceptum certe ligat. 2. Actus externus. 3. Actus conſummatus. 4. Contumacia, ita ut delinquens ſciat crimen, non ſolum vetitum eſſe a jure Divino, ſed etiam Eccleſiaſtico. Hinc infertur 1. quod a cenſura excuſat ignorantia invincibilis prohibitionis Eccleſiæ; & etiam craſſa (imo juxta aliquos adhuc affectata) ſi cenſura ſit lata in *ſcienter*, *temere*, aut *conſulto* peccantes. Infertur 2. Quod metus gravis etiam excuſat a cenſura, quamvis crimen ſit contra Legem Divinam. Infertur 3. Quod fulminari nequit cenſura pro delictis præteritis, quæ non habent tractum ſucceſſivum: Id tamen currit tantum de excommunicatione, nam ſuſpenſio, & interdictum poſſunt aliquando imponi pro culpis præteritis, per modum puræ pœnæ. Infertur 4. Ad fulminandam cenſuram, monitionem requiri: intellige

ge de censuris latis ab homine per sententiam particularem; non vero de latis a jure, in quibus ipsa lex monet; *lib.* 7. a *num.* 29. *ad* 58.

122. Si quis autem revera est innocens, licet in conscientia a censura lata non ligetur, debet tamen in externo tanquam censuratum se gerere. Et hoc dicendum etiam in dubio, an absolutio sit vel ne obtenta; & etiam in dubio, an censura fuerit juste lata, idest præviis debitis probationibus. Secus autem dicendum in dubio, an illa fuerit vel non incursa: *num.* 66. *& sequ.*

123. Quæritur V. Quis possit a censuris absolvere? A censura lata per sententiam particularem, ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam tulit, vel ejus superior, aut successor, aut delegatus. Ab illa autem quæ lata est a jure, vel ab homine per sententiam generalem, modo non sit reservata, potest absolvere quivis Confessarius; *lib.* 7. *n.* 70. *&* 72.

124. Hic autem notandum 1. quod Episcopi *ex cap. Liceat.* 6. *seß.* 24. in Trident. possunt dispensare in omnibus irregularitatibus &

suspen-

ſuſpenſionibus ex delicto occulto, exceptis iis quæ oriuntur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentioſum. Item poſſunt abſolvere a quibuſcunque caſibus occultis, etiam ſedi Apoſtolicæ reſervatis, quoſcunque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua per ſeipſos aut vicarium ad id ſpecialiter deputandum. Hanc autem facultatem poteſt Epiſcopus etiam generaliter aliis delegare; *lib. 7. num. 93.*

125. Notandum 2. Quod prædicta facultas verius ſublata eſt Epiſcopis reſpectu ad hæreſim, & alios caſus reſervatos in Bulla Cœnæ; vide *num.* 83. Si tamen quis ſit impeditus adire Romam, bene poteſt abſolvi ab Epiſcopo: & abſolute, ſi impedimentum eſt perpetuum: ſub juramento autem adeundi Romam, ſi eſt temporale, exceptis ſemper mulieribus, & pueris; *num.* 84. *ad* 88. Et ſi quis eſt impeditus adire Epiſcopum, abſolvi poteſt a quocunque Confeſſario, ut probabiliter docent *Navarr. Sotus, Palaus, Suar. Laym.* & *Roncaglia num.* 92. Nec tenetur per nuncium, aut epiſtolam a Roma

absolutionem petere, ut probabiliter plures docent *num.* 89.

126. Notandum 3. Invalidam esse absolutionem censuræ a Delegato impertitam, non satisfacta parte, si sub hac clausula est ei facultas concessa; nisi Reus sit omnino impotens ad satisfaciendum; vel nisi pars injuriam remittat, aut rejiciat juxtam satisfactionem oblatam; *num.* 128.

§. IV.

De Censuris in specie.

Et I.

De Excommunicatione.

127. EXcommunicatio *est censura, per quam privatur homo communione Ecclesiastica*. Est duplex, *Minor* quæ privat tantum usu passivo, seu receptione Sacramentorum: *lib.* 7. *num.* 149. Et *Major* quæ privat etiam activo, & omni communicatione, ut infra *num.* 129.

128. Excommunicatus potest esse

vel

vel toleratus, vel vitandus. *Toleratus* est, quem Fideles non tenentur vitare, ex Constit. *Ad evitandam*. Concilii Costantiensis, nec etiam in Divinis, ut probabilius ajunt DD. *num.* 139. Et idem dicitur de suspensis, & interdictis toleratis: *n.* 140. Vitandus est quem fideles tenentur vitare. Et dupliciter quis potest esse vitandus, vel quia est nominatim excommunicatus, & denunciatus; vel quia est publicus percussor Clerici, vel Monachi; ita tamen ut factum nulla possit tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari ut dicitur in *Cap. Si quis*. 17. *Qu.* 4. Hinc plures Doctores probabiliter docent, quod percussor, ut sit vitandus, requiritur non solum ut notorietas sit facti, sed etiam juris, scilicet ut in judicio Reus sit damnatus, vel saltem ejus crimen sit probatum: *num.* 141. *ad* 144. Qui autem est vitandus in uno loco, non est in alio; ubi est occultus; nisi brevi illuc perventura sit notitia; *num.* 145. Hæc autem excommunicatio, si percussio est enormis, vel gravis, & publica, tantum a Papa absol-

 vitur;

vitur; nisi percutiens sit mulier; aut impubes, hi enim possunt absolvi ab Episcopo: qui potest etiam absolvere a percussione levi, adhuc publica, & a gravi, vel enormi, si sit occulta; *lib. 7. num.* 279. & 280.

129. Excommunicatus igitur excommunicatione majori, esto sit tantum toleratus, privatur pariter ac vitandus 1. suffragiis Ecclesiæ. 2. Beneficiis, ita ut collatio Beneficii ipsi facta sit omnino nulla. 3. Susceptione & administratione Sacramentorum, ac omni usu Divinorum Officiorum. 4. Omni communicatione spirituali & civili cum Fidelibus.

130. Fideles autem etiam peccant, si communicant cum excommunicato vitando, in Divinis, aut in civilibus, nempe si cum illo Missam audiant, Officium recitent; item si eum alloquantur, rescribant, salutent (Alii dicunt, si etiam resalutent; sed eum aliis id nescirem damnare, salutationem enim reddere non videtur tam honorem præbere, quam potius ab actu contemtus, vel saltem inurbanitatis abstinere);

nere): item si cum eo cohabitent, mensam ejus adeant, societatem aut alium contractum ineant. Hæc omnia comprehenduntur illo celebri versu:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur. vide lib. 7. n. 188. *ad* 196.

131. Communicantes autem cum vitando, ordinarie tantum venialiter peccant. In tribus autem casibus certe peccant graviter, nempe si communicent in contemtum Ecclesiæ, vel in Divinis; vel in crimine criminoso, idest in eodem crimine ob quod ille est excommunicatus: Et in hoc ultimo casu incurrunt excommunicationem majorem, in aliis vero tantum minorem, a qua excusat vel utilitas excommunicati, vel lex conjugii, subjectio, ignorantia, vel necessitas spiritualis sive temporalis; hæc alio versu comprehenduntur:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necesse. lib. 7. *num.* 200. *ad* 207.

II.

De Suspensione.

132. SUspensio *est censura, qua Clericus functiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohibetur*. Dividitur autem suspensio. 1. Alia est a jure, alia ab homine. 2. Alia fertur ad certum tempus, quo elapso, expirat; alia fertur absolute, quæ manet, donec per absolutionem auferatur. 3. Alia est ob Officio, nempe Ordinis, vel Jurisdictionis; alia a Beneficio; & alia ab utroque, tam ab Officio; quam a Beneficio.

133. Quæritur I. An Clericus Ordinem exercens suspensione ligatus, incurrat irregularitatem, si suspensio facta sit tantum ad certum tempus? Distinguimus cum probabiliori sententia: Incurrit, si fuerit lata per modum Præcepti ob crimen futurum; secus si fuerit lata ab homine ob meram punitionem criminis præteriti; quia talis suspensio tunc habet rationem pœnæ, non censuræ; *lib. 7. num.* 314.

134. Quæ-

134. Quæritur II. An suspensus a Beneficio, si sit pauper, possit fructus retinere? Affirmandum, si sit ob crimen omnino præteritum; secus si ob contumaciam; *num.* 316. *Dub.* 1.

135. Quæritur III. An possit ferri suspensio ob culpam tantum venialem? Negandum, si est major, nempe ab omni usu Officii, & Beneficii, vel alterutrius, sed ad longum tempus. Secus si sit partialis, atque ad breve tempus; *num.* 321. *v. Sed hic*.

III.

De Depositione.

136. Depositio *est quæ privat simpliciter omni usu Officiorum, & Beneficiorum*. Depositio autem alia est *Realis*, quæ dicitur etiam Degradatio. Alia *Verbalis*, quæ absolute dicitur Depositio. Prima fit cum sollemnitate, & privat privilegio tam Fori quam Canonis absque spe restitutionis. Secunda vero fit sine sollemnitate & utroque privilegio retento. *l.* 7. *n.* 324. & 325.

IV.

De Interdicto.

137. INterdictum *est censura Ecclesiastica, prohibens usum tam Divinorum Officiorum, quam aliquorum Sacramentorum, & etiam Ecclesiasticæ Sepulturæ usum, quatenus talis est*. Dicitur *quatenus talis est*, quia excommunicatio etiam privat eodem usu, sed quatenus est communicatio cum Fidelibus; suspensio autem, non impedit proprie usum, sed exercitium potestatis Ecclesiasticæ.

138. Interdictum aliud est *Locale*, quod immediate afficit locum; aliud *Personale*, immediate afficiens personas. Potest etiam esse mixtum, quod afficiat immediate tam locum, quam incolas; *lib. 7. n.* 329.

V.

De Irregularitate.

139. IRregularitas *est impedimentum Canonicum, Ordinum sacro-*

sacrorum susceptionem, *& susceptorum usum impediens*. Dictum est *impedimentum*, non censura; quia sic vult communior & probabilior sententia, ex *cap. Quærenti. de verb. sign.* ubi Innocentius III. rogatus quid intelligeretur nomine Censuræ, respondit intelligi tantum excommunicationem, suspensionem, & interdictum: *lib. 7. num. 341. v. Quæritur*.

140. Notandum 1. quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa, ex *cap. Is qui de sent. excom.* Notandum 2. quod in dubio sive juris, sive facti, an quis irregularitatem contraxerit, non est censendus irregularis; quia nemo in dubio est expoliandus suo jure certo; *num. 346.* Excipe, nisi dubium vertat circa factum homicidii; quia tunc dubitans, an ad homicidium concurrerit, irregularis censeri debet in foro tam externo, quam interno, ex *cap. significasti. & c. Ad audientiam. de Homic.* vide *num. 347.* Modo, intelligendum, homicidium sit certum, & dubium sit tantum de suo concursu; vide *lib. 3. de Præc. V. num. 396.* Notan-

dum 3. quod ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur scientia legis Ecclesiasticæ prohibentis, ut communissime docent DD. An autem id dicendum etiam de crimine homicidii? Affirmant *Palaus*, *Salmant.*, *Viva*, *Machad. &c.* Sed negant *Suarez*, *Boss. Diana*, *&c.* quia homicida non tam ratione delicti, quam indecentiæ repelli ab Altari debet, ut dicitur in Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. Huicque sententiæ videtur magis adhærendum; *lib.* 7. *num.* 350. An vero ad incurrendam irregularitatem ex delicto, excepto homicidio, requiratur etiam scientia pœnæ? Alii negant, quia irregularitas est mera inhabilitas. Alii autem ut *Navarr. Sylvest. Sanch. Palaus*, *Roncaglia*, *Coninch.* & alii plures affirmant, dicentes esse veram pœnam, & extraordinariam; cum imponatur in punitionem criminis, nec possit ab ignorante aliquo modo prævideri. Utraque sententia est satis probabilis; *num.* 351.

142. Irregularitas tollitur 1. per cessationem causæ, si irregularitas sit ex defectu ætatis, ignorantiæ,

aut

aut paupertatis: vel infamiæ facti quæ tollitur per mutationem loci aut per emendationem, nam si est juris, scilicet per sententiam, requiritur dispensatio. 2. Per Baptismum (si sit ex delicto). 3. Per Dispensationem. 4. Per Professionem Religiosam; *lib.* 7. *num.* 352.

143. Irregularitas alia est ex *delicto*, alia ex *defectu*. Irregularitates ex delicto sunt sex I. ob Baptismum serio & scienter iteratum; & tunc fit irregularis tam baptizans, quam baptizatus: *num.* 356.

144. II. ob violationem censuræ, nempe si quis ea innodatus scienter exercet actum Ordinis sollemniter. Qui vero celebrat irretitus excommunicatione tantum minori, non fit irregularis, ex *cap. Si celebrat*, *de Cler. excom.* Nec etiam innodatus excommunicatione majori, si exerceat actum Ordinum Minorum, adhuc sollemniter; vel Majorum, sed non sollemniter. Nec qui Concionem habet, quia hic non est actus jurisdictionis. Nec Episcopus si excommunicet, aut Parochus si Matrimonio assistat, quia hi non sunt actus Ordinis; *l.* 7. *n.* 357. & 358

145. III.

145. III. ob peccatum, quo Clericus scienter & serio actum Ordinis sacri quem non habet sollemniter exercet; *lib. 7. num.* 359.

146. IV. ob aliquas furtivas susceptiones Ordinum, idest 1. Si quis accipit Ordinem sine approbatione Episcopi, ex *cap.* 1. *de eo qui furt. &c.* 2. Si absque dispensatione ejusdem suscipit eodem die plures Ordines, quorum unus est sacer, ex *cap.* 2. *&* 3. *eod. tit.* 3. Qui post Matrimonium contractum ante consummationem accipit Ordinem sacrum, uxore renitente, ex *Extrav. Antiquæ. de Voto*; vide *lib. 7. num.* 360. *&* 361. Diximus *ob aliquas*, nam aliæ furtivæ Ordinum susceptiones (enumeratæ *num.* 57.) inducunt tantum suspensionem (Papæ autem reservatam si est publica) sed non irregularitatem; *Suar. Con. Pal. Salm. &c. n.* 361. Et idem dicendum de eo, qui censura irretitus sacrum accipit Ordinem; nisi in ipsa Ordinatione Ordinem exerceret, prout exercet Neo-Presbyter, concelebrando cum Episcopo; tunc enim etiam irregularitatem incurrit; vide *lib. 6. num.* 799. *in fin.*

v. Utrum.

v. Utrum. Si vero quis in ipsa furtiva Ordinatione suspensionem incurrat, puta si ordinetur ante ætatem, valde probabiliter hic non fit irregularis, ut diximus *num.* 54.

147. V. Propter enormia crimina, si sint publica & notoria facto, vel jure, habeantque a jure annexam infamiam, ut sunt adulterium, incestus, sodomia, perjurium in judicio, hæresis, simonia, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, raptus mulierum, & similia. Hæc autem irregularitas, si est facti, tollitur per emendationem; si juris, per dispensationem: *lib.* 7. *num.*362. & 363.

148. VI. Ex injusta mutilatione, & tanto magis ex homicidio, etiam indirecte voluntario, ex *cap. Si quis* 1. *de Homic.* & *Clement. unic. eod. tit.* Hæcque irregularitas extenditur etiam ad Mandantes, Consulentes, aut aliter Concurrentes, ex *cap. si viduam*. *Dist.* 50. Hinc fiunt irregulares, etiam qui cooperantur, ut homicidium fiat celerius, audacius, aut securius; vide *lib.* 7. *num.* 365. *ad* 375. An autem fiat irregularis, qui valens impedire homicidium,

culpa-

culpabiliter non impedit? Si tantum ex charitate tenetur, certe non fit. Quæstio est, si teneatur ex officio; & tunc adest utrinque duplex probabilis sententia; *num.* 376.

149. Irregularitates autem ex defectu sunt octo. I. Ex defectu *Animæ*, ex quo irregulares sunt 1. Amentes, phrenetici, & epilectici, qui tamen si jam ordinati sint, & intra annum eo morbo non laborarint, præsumuntur liberati, & bene permittuntur Ordinem exercere. 2. Illiterati, juxta dicta *num.* 42. 3. Neophyti, seu recenter conversi; *lib.* 7. *num.* 397. *ad* 403.

150. II. Ex defectu *Corporis*, nempe si quis habet vitium quod vel impedit congruum exercitium Ordinis, vel notabilem affert indecentiam. Ex primo capite impedimenti sunt irregulares cæci, surdi, muti, carentes manu, aut digitis omnibus, aut pollice, vel indice; *lib.* 7. *num.* 403. *ad* 409. Ex secundo autem capite *deformitatis*, leprosi, carentes nasu, & aliter monstruosi, puta habentes gibbum valde enormem; *num.* 409. *ad* 413.

151. III.

151. III. Ex defectu *Natalium*, quo sunt irregulares omnes illegitimi, ex *cap.* 1. *& fin. de Filiis Presbyt.* Hi tamen legitimantur, vel per subsequens Matrimonium, vel per Professionem Religiosam, vel per Dispensationem Pontificis; *lib.* 7. *num.* 420. *ad* 427. Cum illegitimo autem, etiam occulto, verius nequit Episcopus dispensare ad Ordines suscipiendos; sed bene potest ad ministrandum in susceptis; *num.* 430. *&* 431.

152. IV. Ex defectu *Ætatis*, de quo vide dicta *num.* 52.

153. V. Ex defectu *Sacramenti*, nempe ex Bigamia, ut patet ex toto titulo *de Bigamis*. Dicitur ex *defectu Sacramenti*, eo quod qui duas duxit uxores, nequit apte significare unionem Christi cum Ecclesia unica ejus sponsa. Bigamia triplex est, I. *Vera*, quando quis cum duabus successive verum contraxit Matrimonium. II. *Interpretativa*, quando quis sola fictione juris censetur duas habuisse uxores; Hęc autem quatuor modis contingit: 1. Si quis ducit viduam jam cognitam: 2. Si ducit mulierem corru-

ptam:

ptam: 3. Si quis cognoſcit propriam uxorem, ſed poſtquam iila adulterium commiſerit: 4. Si quis duo Conjugia contrahit, & conſummat, unum validum, alterum invalidum; III. *Similitudinaria*, quæ contrahitur ex attentatione Matrimonii (quamvis invalidi) cum corrupta, vel cum virgine, poſt votum ſollemne emiſſum in Religione, vel poſt ſuſceptionem ſacri Ordinis; *lib.* 7. *num.* 436. *ad* 449.

154. VI. Ex defectu Infamiæ, de qua vide dicta *num.* 147. nam irregularitates ex defectu, & ex delicto in idem coincidunt.

155. VII. Ex defectu *Libertatis*; unde ſunt irregulares 1. Omnes ſervi proprie dicti. 2. Conjugati. 3. Curiales, obligati Curiæ propter juramentum, aut ſtipendium. 4. Milites, ſaltem quandiu juramento tenentur; *lib.* 7. *n.* 455. *ad* 457.

156. VIII. Ex defectu *Lenitatis*, ſcilicet ex licita mutilatione membri, quæ fit a Chirurgis cum inciſione, vel aduſtione; vel ex licito homicidio in bello juſto offenſivo, aut in judicio. Sed in judicio, ut quis fiat irregularis, requi-

ritur

ritur ut ad mortem alterius, vel mutilationem cooperetur active, efficaciter, & proxime, per actionem ex natura sua ad id ordinatam, ex *Clement. un. Si fur*, &c. *lib.* 7. *n.* 457 *ad* 462.

SECTIO II.

De Diaconatu.

157. Diaconatus *est Ordo, quo confertur potestas immediate assistendi Sacerdoti in Missa, porrigendo ei patenam cum hostia, & calicem cum vino: item legendi Evangelium, & prædicandi.*

158. Materia est duplex, impositio manus dexteræ Episcopi, cum Forma: *Accipe spiritum Sanctum ad robur, &c.* Et traditio libri Evangeliorum, cum Forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* Ambo autem sunt materiæ & formæ partiales, unum Ordinem constituentes. Valeret etiam traditio Bibliæ, quia ibi jam continentur Evangelia.

159. Sed dices: Ab initio quomodo ordinabantur Diaconi, quando

deerat liber Evangeliorum? Respondent alii, qui sat probabililiter tenent duplicem esse materiam Diaconatus, ut supra, Christum Dominum reliquisse Ecclesiæ potestatem determinandi in specie materias & formas Sacramentorum; sed alii probabilius id negant, cum materia essentialis hujus Ordinis sit sola manuum impositio. At quia prima sententia etiam est probabilis, ideo utraque materia & forma, ut supra, adhibenda est in Ordinatione Diaconorum. Et juxta hanc sententiam, Character imprimitur in prolatione secundæ Formæ; *lib. 6. num.* 748.

160. Officia Diaconi (præter dicta) sunt 1. sollemniter baptizare, sed nonnisi de licentia Parochi, & in magna, saltem gravi necessitate; alias qui baptizat sollemniter sine commissione, etiam in necessitate, irregularitatem incurrit. 2. Ministrare Eucharistiam; sed pariter id non licet, nisi fiat ex commissione Parochi, & in necessitate gravi, nempe si Populus sit communicaturus, & desit Sacerdos; *lib. 6. num.* 237. Alias, si ministrat sine commis-

missione, etiam fit irregularis; *num.* 234. 3. Deferre Pyxidem, aut Ostensorium cum Eucharistia. 4. Prædicare, & lavare corporalia in defectu Subdiaconi.

161. Diaconus censura ligatus irregularitatem incurrit, si ministrat, juxta dicta *num.* 144. Qui vero irretitus censura Diaconatum suscipit, non fit irregularis, nisi in Missa Ordinationis, ultro Ordinem susceptum exerceret; vide dicta *num.* 54.

162. Quæritur, an obliget pœnitentia imposita Diaconis & Subdiaconis ab Episcopo, recitandi Nocturnum diei currentis, & Sacerdotibus tres Missas celebrandi? Alii affirmant; sed probabiliter alii negant, saltem quod obliget sub gravi, cum de tanta obligatione non constet; *lib. 6. num.* 829.

SE-

SECTIO III.

De Presbyteratu.

§. I.

De Ordine Presbyteratus.

163. PResbyteratus *est Ordo, quo confertur potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Jesu-Christi, & absolvendi Fideles a peccatis.* Ordo autem Sacerdotii institutus fuit a Christo in Cœna, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et post Resurrectionem, quando dixit: *Quorum remiseritis peccata, &c.*

164. Quænam est materia Presbyteratus? Juxta nostram probabiliorem sententiam, est unica, nempe secunda impositio manuum Episcopi cum Presbyterio. Sed probabilis est sententia quod sit duplex, nempe traditio calicis cum vino, superposita patena cum hostia, cujus Forma est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium, &c.* Et tertia impositio manuum, cujus forma:

ma: *Accipe Spiritum-Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* Et hæc sententia, cum sit probabilis, omnino in praxi tenenda est; vide dicta *lib. 6. num.* 749.

165. Hinc dicimus I. quod in Ordinatione Sacerdotum, una cum Calice & Patena, tradenda est utraque species, nempe panis, & vini; aliter non daretur directa potestas ad integrum Sacrificium; & eodem tempore debet tradi, cum potestas Sacerdotalis, ad sacrificandum sit indivisibilis; ita probabilior sententia, quæ omnino tenenda est: *lib. 6. num.* 750. Dicimus II. Quod non sufficit tangere tantum Calicem, & non Patenam; cum probabilis sit sententia, utrumque esse tangendum; *n.* 753. Dicimus III. quod, licet ex communi sententia valide ordinetur qui tantum hostiam, & non Patenam tangit, quia hostia & vinum sunt materia substantialis, & Calix & Patena tantum ob decentiam adhibentur; attamen consultum est, ut talis Ordinatio repetatur, cum quatuor DD. de ea dubitent; & in Pontificali, ubi fit sermo de materia, dicitur: *Et cup-*

pam

pam calicis, & *patenam simul tangant*; *num.* 751. Idem videtur dicendum de eo qui tangit tantum Patenam & Calicem, & non hostiam; *num.* 752.

166. Quæritur, quando defectus suppleri debeant in Ordinatione Presbyteratus? Si defectus est circa *essentialia*, nempe circa materiam & formam, omnino Ordinatio repetenda est: Et quidem tota, si defectus, sive ejus dubium, vertat quoad traditionem primæ potestatis supra Corpus Christi Reale; si vero quoad secundam circa Corpus Mysticum, tantum secunda repeti debet. Si autem defectus est circa *accidentalia*, tunc si est de re levi, puta si ordinatus non dixerit Canonem, talis cæremonia aut similis non oportet repeti. Si autem in re gravi, puta si defuerit unctio manuum, vel si Neo-Presbyter non protulerit verba consecrationis cum Episcopo, tunc defectus quamprimum supplendus est ab eodem Episcopo (si fieri potest), alias graviter peccaret ordinatus id negligendo, aut in Ordine ministrando; *lib.* 6. *num.* 758. Quonam autem tem-

tempore præfati defectus suppleri debeant; respondetur quod si sint circa accidentalia, probabiliter quovis tempore suppleri possunt; si vero circa essentialia, idem dicunt *Salmant.* cum aliis, sed ex probabiliori & communiori sententia supplendi sunt tempore Ordinationum, ut habetur ex *cap. Presbyter. de Sacr. non iter.* Nisi agatur de solo dubio validitatis Ordinationis, ut probabiliter plures DD. opinantur; *num.* 759.

§. II.

De Sacrificio Missæ.

167. SAcrificium (loquendo in genere) *est Oblatio rei sensibilis facta Deo per immolationem in signum ejus supremi Dominii.*

168. Quatruplex potest esse Sacrificium: *Lautreticum*, ad Deum colendum: *Eucharisticum*, ad gratias agendas: *Impetratorium*, ad beneficia accipienda. *Propitiatorium*, ad veniam impetrandam.

169. Missa autem *est Corporis, & Sanguinis Domini Jesu-Christi conseera-*

secratio, *& oblatio*. Et est verum Sacrificium, omnium aliorum rationem complectens: Eademque est Hostia, quæ in Cruce oblata fuit, *sola ratione offerendi diversa*, ut docet Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. Essentiam autem Sacrificii alii dicunt consistere in *Consecratione*, alii in *Oblatione*, alii in *Sumtione*, alii demum probabilius in *Consecratione* simul, & *Sumtione* cum *Bellarm. Soto*, *Bonac. Tournely*, *&c. n.* 305. Ad essentiam autem Sacrificii probabilius requiritur Consecratio utriusque Speciei, nempe panis, & vini; aliter non exprimeretur Commemoratio Sacrificii cruenti Crucis; *num.* 306.

170. Quær. I. Quæ requirantur ad Missam perficiendam? Tria sunt necessaria Intentio, Materia, & Forma. Requiritur *Intentio* consecrandi, sive conficiendi Sacramentum saltem virtualis, scilicet quæ perseverat ex actuali prius habita; quam certe habet, qui paratur, & accedit ad celebrandum, juxta dicta *num.* 14. Plura nunc sunt notanda de Materia, & Forma. *Materia* est ipse Christus Dominus reali-

realiter existens sub speciebus panis & vini.

171. Panis consecrandus debet esse usualis & communis, ex farina triticea & aqua naturali (saltem pro majori parte) confectus, igneque coctus, ac non corruptus; alias non est materia apta. Ut autem sit materia licita, in Ecclesia Latina debet esse azymus, in Græca fermentatus; & non cum alia materia admixtus, nec corruptioni proximus; *lib. 6. num.* 198. ad 205.

172. Vinum autem debet esse ex uvis expressum; cui ex gravi præcepto Ecclesiæ modica aqua est in Calice admiscenda (ad significandam unionem Fidelium cum Christo) quæ saltem non excedat tertiam vini partem; quamvis hanc opinionem aliqui DD. non admittant, nisi vinum sit generosum; sufficit vero admiscere unam aquæ guttam; *lib. 6. numer.* 210. Non est materia apta vinum ex agresta, nec acetum, nec vappa (idest vinum cujus vis evanuerit) nec lora, vulgo *acquata*. Vinum vero, cum alio modico liquore mixtum, vel mustum, aut vinum, quod

incipit acescere vel corrumpi, ut ait Rubrica, est materia quidem apta, sed non licita nisi in necessitate; *num.* 203. *&* 207. Et idem dicendum de vino congelato, nisi liquefiat dum consecratur; *cit. num.* 207. *Qu. II.* quid si celebrans in sumtione advertat vinum esse corruptum? Alii dicunt sufficere, ut sola fiat Consecratio vini; sed melius est juxta Rubricam iterum vinum & novam hostiam consecrare, incipiendo, *Qui pridie &c.* Et in dubio an fuerit materia apta, etiam repetenda Consecratio vini, ut probabilius ajunt *Croix*, *Pasqual*. &c. *num.* 206.

173. Insuper ad validam consecrationem requiritur, ut materia 1. sit sensibiliter & moraliter præsens; unde invalide consecratur materia valde modica, aut valde remota, vel posita post tergum aut parietem, aut sub Corporali. Requiritur 2. ut sit certa, & determinata, saltem aliquo modo; tunc autem jam consecratur ex intentione virtuali, licet de ea Sacerdos consecrando obliviscatur; *l. 6. n.* 211 *ad* 216. Si autem Ciborium tempore Consecrationis reman-

remanserit extra Altare, probabilius ipsum rursus est sub conditione consecrandum; *num.* 217. Quoad guttas autem vini separatas, sed intra Calicem existentes, melius est semper intendere eas consecrare, ut ait *La-Croix lib. 6. p. 1. n.* 449. expedire, ut Sacerdos intendat eas consecrare, ne quid sit in Calice non consecratum. Sed melius mihi videtur id intendere de guttis proximis fundo, non vero de remotis; *lib. 6. num.* 205.

174. Forma autem Eucharistiæ sunt verba, quæ proferuntur in consecratione panis & vini. An in consecratione vini sola verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, sint de essentia, vel etiam alia verba? Utraque sententia est probabilis; sed certe graviter peccat reliqua omittens. An vero ad Consecrationem requirantur de necessitate Sacramenti verba præcedentia: *Qui pridie quam pateretur*, &c. Communis sententia negat: Sed Scotus dubitat, ejusque sententiam *Du-pasquier*, & *Continuator Tournely* dicunt non carere omni probabilitate; & ego dicere improbabilem non au-

deo; *lib.* 6. *num.* 220. ad 224. Forma autem Eucharistiæ debet proferri *recitative*, & *significative*; *d. n.* 220. *in fin.* Si dubium sit (modo sit probabile) an Forma non sit bene prolata, repetenda est sub conditione; vide *lib.* 6. *num.* 224. *in fin.*

175. Quær. 2. Quotuplex est Fructus Missæ? Resp. Fructus Missæ alius est ex *opere operato*, nempe ex merito Christi; alius ex *opere operantis* ex merito Sacerdotis. Item alius est *Meritorius*, alius *Satisfactorius*, alius *Impetratorius*. Item alius *Generalis*, qui obtingit omnibus Fidelibus, vivis & defunctis; alius *specialis* sive medius, obtingens assistentibus Missæ, & ei cui applicatur; alius *specialissimus*, obtingens soli Celebranti; pro quo non licet ullum stipendium accipere, ex Prop. 8. damnata ab Alexandro VII.

176. An Missa sit infiniti valoris, tam intensive, quam extensive? Plures Doctores negant; plures vero alii probabilius affirmant, & pro his est etiam D. Thomas: cum Missa sit idem quam Crucis Sacrificium, quod fuit infiniti valo-

loris. Licet autem valor sit infinitus, effectus tamen Missæ finitus est, ex finita capacitate hominum pro quibus offertur, quorum unusquisque percipit fructum juxta suam capacitatem. Sed quia prima sententia etiam est probabilis, nequit Sacerdos accipere duplex stipendium a duobus, applicando eis Missam ambobus, ut habetur ex Prop. 10. damnata ab eodem Alex. VII. Nec potest eam danti eleemosynam applicare in generali cum aliis, nisi hoc faciat sub conditione, si liceat; *lib. 6. num.* 312.

177. Quær. III. Quid de Stipendio Missæ? Stipendium accipere licet Sacerdotibus, etiam divitibus, ut communiter docent *Suar. Lugo, Concina, Tournely, cum Gerson, & Thomassin.* & alii plurimi (contra *Genett.* & alios paucos): quia quisque operarius dignus est mercede sua, ex Apost. 1. *Cor.* 9. vide *lib. 6. num.* 317. *Qu. I.*

178. Sacerdos peccat graviter, si differat Missam promissam sub stipendio per duos menses; imo Missam Defunctorum si differat per integrum mensem, ut dicunt *Salmant.*

Concin. Escob. Sporer, Roncaglia, & *Tournely ; cit. num.* 317. *Qu. II.* Item si Missa dicenda sit pro instanti necessitate, puta imminentis mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio hebdomadæ potest esse mortalis; vide *Cabrin. cap.* 34.*num.* 236.

179. Nulli licet dare aliis Missas ad celebrandum, retenta parte stipendii, sub pœna ipso facto incurrenda suspensionis Papæ reservatæ, si est Clericus, & excommunicationis, si Laicus, ut habetur in Bulla, *Quanta cura*, Benedicti XIV. Et pars retenta probabilius debet restitui Sacerdoti celebranti, quam largiri pauperibus. Excipe, nisi pingue illud stipendium detur alicui ratione personæ, vel Beneficii, aut Capellaniæ (etiam amovibili), sive legati perpetui. Administratores autem Ecclesiarum ex Decr. S. C. confirmato ab Innoc. XII. nil possunt retinere, nec etiam pro expensis in celebratione Missarum, nisi Ecclesia alios non habeat redditus; *lib.* 6. *num.* 321. & 322.

180. Parochi ex Bulla *Cum semper*, ejusdem Bened. XIV. tenentur

tur applicare Missam pro Populo omnibus diebus festis, etiamsi congruam non habeant. Si vero pingues habent reditus, non tenentur sæpius Missas applicare, ut in eadem Bulla declaratur; *lib. 6. n.* 325. *Qu. II.*

181. Applicatio debet fieri ante celebrationem, vel ante consecrationem. Verius autem (quicquid alii dicant) sufficit applicatio Missæ habitualis, ut communiter docent *Suar. Lugo*, *Bonac. Tournely*, *Holemann. Concina*, & alii plures; *lib. 6. num.* 335. *Qu. I.* Si Missa nulli applicetur, fructus manet in thesauro Ecclesiæ. Applicatio autem sub conditione jam impleta, valida est. Si vero fiat pro primo, qui offeret eleemosynam, non solum est illicita ex prohibitione Clementis VIII. sed etiam probabilius sæpe erit invalida; vide *num.* 337. *v. Dicunt.*

182. Quær. IV. An sacerdos teneatur aliquando celebrare in anno? Negant, præciso scandalo, *S. Bonav. Cajet. Lugo*, & probabile putant *Suar. Laym. & Palaus*. Alii tamen communius cum *D. Thoma*

(quibus ego magis adhæreo) affirmant, cum verba Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, contineant verum præceptum, ut declarat *Trident. sess.* 22. *cap.* 1. Hinque DD. dicunt teneri ad celebrandum, saltem ter vel quater in anno, in Festis sollemnioribus. Parochi vero debent sacrum facere in quolibet Festo, quo tenentur oves illud audire; *lib. 6. n. 313.*

183. Quær. V. An Rubricæ Missalis sint omnes præceptivæ, vel aliquæ sint tantum directivæ, sive de consilio? Diversæ in hoc sunt sententiæ. Nos dicimus sequendam esse sententiam *Quarti*, *Merati*, & *Tournely*, qui recte dicunt, Rubricas de agendis intra Missam, omnes esse præceptivas, & obligare juxta gravitatem materiæ; ex Bulla S. Pii, ubi dicitur: *Districte præcipientes, ut Missam juxta ritum, modum, & normam in Missali præscriptam decantent, ac legant.* Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt non omnes esse præceptivas; *lib. 6. num. 399.*

184. Quær. VI. Quando Missa dici possit? Sic dicitur in Rubrica:

Mis-

Missa privata saltem post Matutinum, & Laudes, quacunque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. Communiter autem dicunt DD. licere Missam terminare in aurora, & illam incipere parum ante meridiem. Imo Benedictus XIII. & Clemens XII. declararunt posse in hoc tolerari latitudinem tertiæ partis horæ, tum ante auroram, tum post meridiem; *lib. 6. num.* 341. *v. Omnes.* Præterea communius & probabilius dicunt *Sylvius*, *Palaus*, *Bonac. Roncaglia*, *Viva*, *Salmant. &c.* quod celebrans non peccat mortaliter, nisi incipiat Missam integra hora ante auroram, vel hora post meridiem; alias tantum veniale committit, a quo excusat quævis causa rationabilis; imo causa gravior, prout esset dandi Viaticum, sollemnitatis, itineris, vel funeris, omnino excusat, etiam si dilatio sit per integram horam; *lib. 6. num.* 343. ad 346. Ministrare autem Communionem licet usque ad Vesperas exclusive; & etiam in Vesperis si adsit aliqua causa specialis, modo non sit intempesta nocte; *num.* 252.

185. Celebrare autem ante Matutinum & Laudes, alii dicunt esse mortale; alii nullum peccatum; alii vero probabilius & communius, ut *Suar. Sotus*, *Sylvest. Tournely*, *Bellarm. &c.* quibus assentitur *Benedictus* XIV. *de Sacr. Missæ lib.* 3. *cap.* 13. *ajunt* non esse mortale; quia talis gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter sub gravi est recepta. Sed non excusari sentiunt a veniali, cum id in Rubrica jam inter defectus numeretur. *num.* 347. Missam autem Conventualem dicere ante Matutinum & Laudes, non excusatur a mortali, ut communiter & verius docent DD. contra *Sanchez*; *num.* 348.

186. Celebrare in die Cœnæ Domini & Sabbati Sancti (quicquid alii dicant) nullo modo licet, nec etiam privatim, ut patet ex Decreto Clementis XI. quod refertur *lib.* 6. *n.* 350. Quodque confirmatum fuit ab Innoc. XII. apud *Merati in Indice Decret. num.* 501.

187. Quæritur VII. Ubi liceat Missam celebrare? Respondetur: In Oratoriis ab Episcopo benedictis, & desi-

designatis ad usus sacros in Seminariis, Conservatoriis, & Hospitalibus, & etiam in domibus privatis, modo Oratorium habeat januam in via publica: item in Oratoriis Religiosorum, necnon in erectis in Palatiis Episcoporum, omnes possunt celebrare, & quovis tempore, etiam festis sollemnioribus, quia illa sunt veræ Ecclesiæ. In Oratoriis autem privatis, in quibus tantum ex privilegio Pontificio celebrari potest, non licet sacrum facere diebus in Indulto exceptis, idest sollemnioribus. Nec potest in eis celebrari, nisi intersit aliqua ex Personis, quibus directe concessum est indultum; ut declaravit Bened. XIV. in Bulla, *Cum duo Nobiles*; vide *l.* 3. *num.* 319. *v. Probabilem*. Nec possunt ibi plures celebrari Missæ, si ibi dicitur (ut consuetum est), *una Missa quotidie celebretur*; declaravit enim Benedictus XIV. in Bulla, *Magno*, sub die 2. Jun. 1751. To *una*, idem esse ac unica; vide *lib.* 6. *num.* 359. *circa fin.*

188. An autem in his privatis Oratoriis possit ministrari Communio? Alii affirmant, alii communius

nius negant, & Benedictus XIV. in Epist. Encycl. ad Episcopos Poloniæ sub eodem die 2. Jun. prohibuit dari Communionem in privatis Oratoriis sine licentia Episcopi; *cit. num.* 359. *v. Quæres*.

189. Celebrans in Ecclesia polluta per notoriam effusionem sanguinis, vel seminis, aut per sepelitionem Infidelis, Hæretici, vel excommunicati, antequam reconcilietur ab Episcopo, vel a Sacerdote ab Episcopo delegato, si Ecclesia fuerit tantum benedicta, graviter peccat; sed nullam incurrit pœnam, ut probabilius dicunt *Suar. Laym. Lugo*, & alii cum *Bened.* XIV. *de Sacr. Missæ*; vide *lib.* 6. *num.* 361. *ad* 367. Sic etiam est mortale, celebrare in Ecclesia execrata, nempe si eodem tempore demoliti in majori parte sint parietes, vel crusta ablata; *num.* 368.

190. Quær. VIII. Quæ requirantur sub gravi præcepto ad rite Missam celebrandam? Requiritur 1. *Altare*, vel *Ara* lapidea ab Episcopo consecrata, cum Sepulchro Reliquiarum, & sigillo; ubi omnino reponendæ sunt Hostia & Particulæ

con-

consecratæ, *lib. 6. n. 372. & 373.* Execratur autem Altare, ita ut mortale erit in eo celebrare, si mensa consecrata removetur ab inferiori structura, vel si Ara notabiliter frangitur, aut ab ea auferuntur Reliquiæ, & sigillum, prout habetur in Decreto S. C. Rituum; *num.* 369. In Altari requiruntur etiam tres Mappæ; nec sufficiunt duo, ut aliqui dicunt; sufficiunt tamen una separata, & altera duplicata; *num.* 374. & 375.

191. Requiritur 2. *Calix*, & *Patena* consecrata. Execratur autem Calix, si notabiliter fractus sit in cuppa, vel sit in fundo perforatus; non vero si pereat ejus inauratio, ut probabilius & communiter docent *Lugo*, *Suar. Sylvest. Tournely*, *Laym. &c.* Hinc probabilius est Calicem de novo inauratum non indigere nova consecratione. Celebrare autem in Calice nunquam deaurato probabilius est esse illicitum, sed nonnisi veniale, ut dicunt *Lugo*, *&* *Tournely*. Si Calix separetur a pede, amittit utique consecrationem, si cuppa est pedi fixa; Secus si pes est tornatilis, & de

de se separabilis: *lib. 6. num.* 370.

192. Requiruntur 3. *Vestes* sacræ, benedictæ ab Episcopo, vel ab alio habente facultatem a Pontifice. Graviter peccat celebrans sine Alba, aut stola, aut Manipulo, aut cum ipsis non benedictis (nisi gravis excuset necessitas); secus tamen plures DD. non improbabiliter dicunt de Celebrante sine Cingulo, aut Amictu; *lib. 6. n.* 377. Vestes autem execrantur, quando usum suum perdunt, nempe si ab Alba manica abscindatur; vel si stola non possit humeros operire, vel pars ejus ita scindatur, ut deperdatur forma: nec sufficit eam resarcire; destructa enim forma desinunt partes esse sacræ; *num.* 368. *ad* 371. Color autem Vestium probabilius est quod sit de præcepto non tamen gravi; *num.* 378. *Dub.* 5.

193. Requiritur 4. *Corporale* benedictum ex lino, vel cannabe; *lib. 6. n.* 386. Execratur autem Corporale, si ita frangitur ut non possit amplius decenter continere Calicem, & Patenam cum Hostia; *lib. 6. cit. n.* 371. Cavendum est, ne Corporale sit valde immundum,

in

in quo dicunt *Suar. Laym.& Tambur.* posse etiam graviter peccari, quamvis addat *Tambur.* ex eodem *Suar.* illud *valde immundum*, difficulter evenire. Ceterum, uti Corporali, & aliis paramentis immundis aut fractis, sed non valde, est tantum veniale, & nullum, si alia haberi nequeant, ut *Croix cum Suar. & Gob.* Imo ait *Tournely*, quod in necessitate, nempe si Sacerdos aut alii deberent omittere Missam de præcepto, licet uti Corporali etiam notabiliter immundo; vide *ibid.*

194. *Palla* etiam debet esse benedicta, & ex lino vel cannabe, saltem ex parte inferiori, ut ait *Suarez*; sed ex Decr. S. C. dictum fuit: *Non adhibenda est Palla a parte superiori drappo serico cooperta.* Non autem improbabiliter dicunt *Sotus* & alii, quod celebrare sine Palla non est mortale, cum ipsa sacras species non tangat immediate; *lib. 6. n.* 388.

195. Requiritur 5. *Purificatorium*, quod probabilius non oportet ut sit benedictum; *num.* 389. Requiritur 6. *Missale Romanum*, continens saltem integrum Canonem. Dicunt au-

autem communissime, & probabiliter *Suar. Vasqu. Laym. Palaus*, *Lugo*, *Salm. Croix*, *&c.* non peccare Celebrantem sine Missali, si memoriter benesciat dicenda, & ob præteritam experientiam non esset ei periculum errandi. Uti vero Missali Regularium (scil. celebrando juxta eorum ritum) est mortale, etiam in ipsorum Ecclesiis; *num.* 390. Requiritur 7. Minister sub gravi obligatione, saltem usque ad Oblationem; nisi urgeret necessitas dandi Viaticum, vel etiam ne omittatur Sacrum in die Festo. Debetque esse masculus, nam fœminæ graviter prohibentur immediate ministrare in Altari; *lib.6.n.* 391. *&* 392. vide etiam *Cabrin. c.* 37. *n.* 259.

196. Requiritur 8. *Crux cum Crucifixo*, etiamsi in Altari expositum sit SS. Sacramentum, ut habetur ex Cæremoniali Episcoporum, & Decr. S. C. Utrum autem sit mortale celebrare sine Cruce? Negant communissime *Laym. Suar. Bonac. Tournely*: *Concina*, *Habert*, *Merati*, *&c.* Sed de probabilitate hujus opinionis dubito, dum Benedictus XIV. in quodam Decreto præcepit,

pit, ut sine Crucifixo *nullo modo fiat sacrificium*: ibique addidit, quod *Imago non sit ita exigua, ut sacerdotis & Populi oculos pene effugiat*; *num.* 393. Requiritur 9. *Duplex Candela* accensa, ex cera, non ex sebo vel oleo; nisi celebrandum sit ex necessitate, non autem ex devotione; *num.* 394. Requiruntur 10. & ultimo, *Bursa*, *Velum*, *Pulvillus* sive *Legile*, & *Manutergium*; at sine istis celebrare, ait *La-Croix* nullum esse peccatum; *num.* 395. Celebrare capite cooperto per totam Missam, est mortale: Secus usque tantum ad Canonem; *num.* 397.

197. Notandum 1. quod Neo-Presbyteri consecrando cum Episcopo vere celebrant, licet unum sacrificium faciant: in quo primarius celebrans est Episcopus, & Sacerdotes sunt etiam causæ totales consecrationis, sed morales, quæ unum effectum pariunt, ad differentiam causarum totalium physicarum, quæ diversos causant effectus. Quisque autem Ordinatus in Sacerdotium debet proferre verba consecrationis, cum intentione consecrandi; sed sub conditione, si conformentur sua eo-

dem

dem tempore cum verbis Episcopi, alias graviter peccaret; vide *lib.* 6.

198. Notandum 2. quod Episcopus Neo-Presbyteris tres injungit Missas celebrandas, unam de Spiritu-Sancto, aliam de B. Virgine, tertiam pro Defunctis; has autem Missas probabile est non esse obligationem dicendi, neque eas applicandi pro Episcopo, cum ipse subdat: *Et etiam pro me orate*; *lib.* 6. *num.* 829.

199. Notandum 3. quod Missa celebrari debet, ut communiter traditur: *Alte*, *Breviter*, *Clare*, *Devote*, & *Exacte*. *Alte*, idest ne dicantur submisse, quæ alte dicenda sunt; ita saltem *ut a circumstantibus audiantur*, prout habetur in Rubrica, alioquin committitur culpa, sed nonnisi venialis. Idem dicendum de eo qui alte recitat, quæ submisse dici debent. Imo probabiliter ait *La-Croix*, quod si quis in Consecratione aut in magna parte Canonis vocem ita elevaret, ut audiretur ad quadraginta passus, graviter peccaret; alias venialiter tantum peccat: *lib.* 6. *num.* 415. & 416.

200. Breviter, ideſt ut non excedatur media hora; cum moneat Rubrica, ut Miſſa non dicatur *nimis moroſe, ne audientes tædio afficiantur; nec nimis feſtinanter*. Hinc rationabiliter ait Benedictus XIV. *Notif.34.n.* 30.cum aliis communiter, Miſſam non debere eſſe longiorem dimidia hora, nec breviorem triente, ideſt tertia horæ parte; alias celerius eam perſolvens, non excuſatur ſaltem a veniali. Et recte addunt *Roncaglia de ſacr. Miſſ. cap. 3. q. 4. in fine, Quarti part. 1. tit. 16. Diſſ. 3. & Paſqualig. quæſt. 229. n. 7. cum Gobat*, Sacerdotem, qui Miſſam ſolveret minori ſpatio quadrantis horæ, non excuſari a peccato mortali: cum in tam brevi ſpatio non poſſit illa celebrari vel ſine magna corruptione verborum & cerenoniarum, vel ſine ſaltem magna indecentia; vide dicta *lib. 6. num.* 400.

201. *Clare*, ideſt ſine verborum mutilatione; qua ſi ſenſus varietur, poteſt eſſe etiam mortalis, ſi ſit notabilis; *num.* 405.

202. *Devote*, ideſt ſine diſtractione, quæ ſi voluntaria ſit in Canone,

ne, & signanter in consecratione, & sumtione, erit mortalis, ut probabiliter ait *Tamburinus*, quicquid alii dicant. Si autem habeatur extra Canonem dicitur idem, quod dictum est de Officio; *n.* 114.

203. *Exacte*, ideft ne omittantur quæ dicenda sunt. Si omittuntur partes ordinariæ nempe quæ in Missa semper dicuntur, est mortale, si materia sit gravis, ut esset omittere in Canone quamlibet Orationem, vel *Pater noster*, vel fractionem Hostiæ cum illius mixtione in Calice, vel purificationem Patenæ & Calicis post sumtionem, vel octo aut decem verba Canonis. Et sic pariter est mortale extra Canonem omittere totum Introitum, vel duas ex Collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium, vel infusionem aquæ in vino consecrando. Veniale tamen erit omittere solum Psalmum *Judica*, vel *Kyrie eleison*, unam tantum ex Collectis, unam vel alteram crucem super Oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum, & idem probabiliter dicunt *de Lugo* & alii de Evangelio S. Joannis; vide *lib.* 6. *num.*

num. 403. *ad* 406. Sicut tantum veniale est etiam, omittere partes extraordinarias, ut sunt *Gloria*, *Credo*, sequentia, Tractus, Præfationem, aut *Communicantes*, & *Hanc igitur* propria; *num.* 409.

204. Notandum 4. quod Missæ Votivæ, vel *de Requiem* vetantur in Dominicis, & Festis Duplicibus, & in Octavis privilegiatis, nisi graves urgeant causæ, de quibus vide *lib. 6. n.* 421. An autem vetentur tunc sub gravi? Negant communiter *Suar. Lugo*, *Bonac. Salmant. Escob. Roncaglia*, & alii plures; Recte vero hi duo ultimi limitant, si festum sit sollemne, saltem propter grave Populi scandalum. Imo Missæ *de Requiem* in Festis duplicibus districte prohibentur in Decreto S. C. approbato ab Alexandro VII. vide *num.* 420. Exceptis autem Festis duplicibus, & aliis ut supra, dicit Rubrica quod *Missæ Votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum*; sed addit: *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa*: prout esset specialis devotio Sacerdotis, vel petitio de Votiva dantis eleemosynam; alias

alias difficulter excusatur a veniali; *num.* 419.

205. Notandum 5. Christum in Eucharistia non esse præsentem per productionem, nec per adductionem de Cœlo, sed per conversionem substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, cui conversioni convenienter aptatum est nomen *Transubstantiationis*. Christus autem sub panis & vini speciebus continetur Sacramentaliter, & ineffabili modo, qui debet credi, sed intelligi non potest; Salvator enim existit ibi sine extensione partium in ordine ad locum, & tamen est ibi totum Christi Corpus, cum Anima, & Divinitate per concomitantiam, & unaquæque pars existit extra aliam. Atque Christus est *totus & integer* sub *quavis speciei parte*, ut docet Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. In Eucharistia autem, licet non sumatur Persona Patris, nec Spiritus-Sancti, prout sumitur Persona Verbi, quæ est hypostatice Humanitati unita, tamen sunt in Eucharistia etiam Personæ Patris, & Spiritus-Sancti, ob naturalem unionem sive Naturæ Divinę identitatem, quam habent cum Verbo.

206. No-

206. Notandum 6. Quod tres sunt in Sacrificio Missæ Offerentes: Christus, qui est principalis offerens, Ecclesia, & Sacerdos, qui offert ut Minister Christi & Ecclesiæ; vide *Bellarm. l. 2. de Miss. c. 4.*

207. Notandum 7. Non licere pluries in die sacrificare, nisi in duobus casibus, 1. ad dandum Viaticum, 2. ne Populus careat Missa in Festo de præcepto; ita *Navarr. Suar. Azor. ap. Cabrin. c. 34. num. 216.*

208. Notandum 8. Quod si dum celebratur, Ecclesia polluitur, vel accedit excommunicatus vitandus, qui monitus nolit discedere, Sacerdos ante Consecrationem Missam dimittere debet; post vero Consecrationem pergat usque ad sumptionem, & statim discedat. Peracta enim Consecratione, non est Missa interrumpenda, nisi tantum ad baptizandum, aut absolvendum hominem mox moriturum, ita omnes communiter.

§. III.

De Potestate, & Munere Sacerdotis.

209. Simplex Sacerdos ex *Potestate Ordinis* suscepti, tantum Eucharistiæ Sacramentum conficere potest, & etiam ministrare, accedente Parochi consensu, qui hodie universe præsumitur adesse, excepta Communione Paschali: Nam ad alia Sacramenta ministranda, requiritur insuper *Potestas Jurisdictionis*. Hinc Sacerdotes sine licentia Parochi nequeunt baptizare, nec Extremam-Unctionem, aut Viaticum dare, nec Matrimonio assistere. Et sine licentia Episcopi expressa, vel saltem præsumta de præsenti, nequeunt Confessiones excipere, ne venialium quidem, aut mortalium jam confessorum, ut patet ex Decreto Innocentii XI. vide *l. 6. n.* 543. *vers. Quær.* Ratio, quia (ut dicitur in Trident.) ratio judicii quod exercetur in administratione Pœnitentiæ, exposcit ut jurisdictio non exerceatur nisi in sub-

subditos, qui ab Episcopo per suam licentiam Sacerdoti subjiciuntur.

210. Diximus autem *n.* 41. quod Initiandi ad Presbyteratum debent habere scientiam rerum, saltem quæ communiter occurrere possunt in excipienda Confessione Moribundi. Ideo circa id ultimo loco pauca principaliora refert hic adnotare.

211. Notandum I. Sacerdos simplex nequit absolvere Infirmum in præsentia Confessarii approbati, ut probavimus *lib. 6. num.* 562. Excipiuntur tamen sequentes Casus, 1. Si approbatus nequiret, vel nollet Confessionem excipere. 2. Si approbatus esset excommunicatus, vel suspensus. 3. Si ille approbatus esset tantum in alia Diœcesi. 5. Si Infirmus ita horreret confiteri apud Confessarium approbatum, ut esset in periculo occultandi sua peccata. 5. Si approbatus superveniret post Confessionem jam inceptam apud simplicem Sacerdotem. *6.* Si approbatus fuisset complex Infirmi in peccato turpi, tunc enim præferendus est simplex Sacerdos approbato, & approbatus, si vellet Confessionem illius excipere, quamvis non invalide, il-

 licite

licite tamen exciperet (nisi urgeret necessitas vitandæ infamiæ, aut scandali) & eandem excommunicationem reservatam non effugeret, ut declaravit Benedictus XIV. in Bullis *Sacramentum*, & *Apostolici*; Vide omnia hæc *lib. 6. num.* 563.

212. Notandum II. Si Moribundus Absolutionem petit, vel dat signum pœnitentiæ Sacerdoti præsenti, absolute est absolvendus. Si vero est sensibus destitutus, & adsit alter qui testetur ipsum petiisse Confessarium, vel signum dedisse doloris, alii dicunt posse absolvi absolute; sed tutius cum aliis dicimus absolvendum sub conditione; *lib. 6. num.* 481. Semper vero censemus Moribundum sub conditione absolvendum, etiamsi nullum dederit signum, & quamvis destitutus sit in actu peccati; *num.* 482. & 483.

213. Notandum III. Sacerdos simplex absolvere potest Fideles a quibusvis peccatis, & censuris, si approbatus absit, ut diximus, non solum in articulo, sed etiam in probabili periculo mortis. Censetur autem in periculo mortis esse, non tantum qui laborat morbo proxime

peri-

periculoso mortis, sed etiam qui longam navigationem aggreditur, vel mulier quæ est in difficili partu: item qui est in periculo incidendi in amentiam, & etiam qui est captivus apud Infideles, carens spe libertatis, & habendi Confessarium approbatum; *lib. 6. num.* 561.

214. Notandum IV. Quisque (ut diximus) in extrema necessitate potest absolvi a quocumque Sacerdote a quibuscunque peccatis, & censuris; sed hic notandum, quod Infirmus, si absolvitur a censuris reservatis, & postea convalescit, debet se præsentare Superiori, alias reincidet in easdem censuras. Secus si tantum absolvitur a peccatis reservatis; *lib. 6. num.* 91. & 567. Insuper notandum id quod diximus *num.* 41. quod quisque Sacerdos, ut sit idoneus ad excipiendas Confessiones Moribundorum & consequenter idoneus ad Presbyteratum suscipiendum, debet non ignorare saltem principia universalia scientiæ Moralis, ut saltem dubia magis obvia decernere possit.

215. IV. Notandum quod si in aliquo Oppido talis esset Confessa-

riorum inopia, ut Indigenæ essent in gravi necessitate spirituali, tunc Sacerdotes etiam simplices non sunt tuti in conscientia, si renuunt Confessiones excipere, & idoneos ad hoc munus se reddere. Vide dicta *lib. 6. num. 627.*

§. IV.

De Munere docendi, & prædicandi.

216. CUm autem Sacerdotis etiam sit docere Populos, & prædicare Evangelium, refert hic adnotare quæ Sacerdotes docere, & quomodo Evangelium explicare debeant.

217. Quoad primum, notum est quatuor esse necessaria ad salutem, nempe Fides, spes, Charitas, & Opera bona. Et I. Quia Deus ea revelavit Ecclesiæ, quisque tenetur explicite credere Deum esse, & Remuneratorem esse; & valde probabiliter etiam de necessitate medii Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, ac Mortis Jesu-Christi. De necessitate autem præcepti quisque

scire

ſcire & credere debet Pater noſter, Ave Maria, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, item Sacramenta, & præſertim illa quæ omnibus neceſſaria ſunt ut Baptiſma, Euchariſtia, & Pœnitentia, & alia ſaltem dum ea ſuſcipiuntur. II. Quia Deus promiſit propter Merita Redemtoris, quiſque tenetur ſperare a Deo æternam Beatitudinem, & media ad eam conſequendam, nimirum veniam peccatorum, & perſeverantiam finalem. III. Quia Deus eſt infinita Bonitas, quiſque tenetur Eum ſuper omnia diligere. Huic autem præcepto alterum adjungitur Charitatis erga Proximos, quos ſicut nos ipſos amare debemus. IV. Ad ſalutem obtinendam ſunt etiam neceſſaria bona Opera, obſervando mandata Dei, & Eccleſiæ, quæ continentur in Decalogi & Eccleſiæ Præceptis.

218. Quoad ſecundum munus explicandi Scripturam, ſciendum duos Ipſam ſenſus habere, Litteralem & Myſticum. *Litteralis* eſt ille, qui per ipſa verba ſignificatur. *Myſticus* qui non ſignificatur per verba, ſed per rem ipſis verbis ſigni-

catam, ex. gr. cum dicitur: *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum &c.* hic non quidem præcipitur abscissio oculi, sed scandali, sive occasionis. Sensus autem Mysticus in tres alios subdividitur, 1. in *Allegoricum*, scil. spectantem ad res credendas: 2. in *Anagogicum*, scil. spectantem ad bona speranda: 3. in *Tropologicum*, scil. spectantem ad mores. Regulariter verba Scripturæ in Litterali sensu accipi debent, nisi adsit absurdum, ut cum dicitur, *Petra autem erat Christus*. Sæpe autem textus utrumque sensum habent Litteralem, & Mysticum: quo mystico sæpius sacerdos in Concione uti debet, præsertim si est moralis. Licitum est etiam aliquando uti sensu dicto *Accommodatitio*, modo id pie & prudenter agatur.

SA-

SACRORUM
RITUUM,

Qui tum a Sacerdotibus, tum ab inferioribus Ecclesiæ Ministris, in obeundo proprio munere sunt servandi,

EPITOME,

Ex variis, selectisque auctoribus, ad eorumdem Ministrorum usum

Collecta, & concinnata primum

AB JOSEPHO CABRINO

Sac. Theol. Doct.

Nunc vero pluribus aucta

A STEPHANO

DOMINICINO

Ecclesiæ Patriarchalis Venetæ Sacerdote Alumno.

Maledictus, qui facit opus Dei negligenter. Jeremiæ cap. 48. verſ. 10. juxta verſionem Septuaginta Interpretum.

INDEX CAPITUM,

Quæ in hac Epitome continentur.

DE-

DE RITIBUS A'CLERICO,

In obeundo Thuriferarii munere servandis.

CAPUT I.

Clericus Thuriferarius quomodo portare debet Thuribulum?



Portare debet, leviterque agitare manu dextera; in annulum majorem pollice immisso, annulum vero catenæ mediæ, sive operculi digito annulari ejusdem dexteræ manus sustentando, aliquantulum elevata operculi catenula, ne ignis extinguatur.

Navicula vero quo pacto deferenda?

Naviculæ clausæ cum Thure, & cochleari, pedem tenere debet Clericus sinistra manu, inter indicem, & pollicem, si simul cum Thuribulo eam deferat, si seorsim dextera, ita ut pars, quæ aperitur, a parte exteriori sit, non pectus respiciat.

Thuriferarius in ingressu, ac regressu ab Altari, & in processionibus quem locum sibi vendicat?

Præ-

Præcedat ante omnes, tam inferiores, quam paratos Ministros; idque observandum etiam in absolutione pro Defunctis.

In facienda incensatione quomodo se gerit Thuriferarius?

Porrigat Diacono sine osculis naviculam apertam dextera manu, ita ut pars clausa respiciat ipsum Diaconum, aut alium, cui etiam traditurus sit, & interea sustentet sinistra manu annulum majorem Thuribuli, & elevato altero annulo operculi pollice dexteræ manus, eademque manu dextera complectatur catenulas circa medium earum, flexoque quasi genu dextero offerat Thuribulum æqualiter elevatum ad Naviculæ altitudinem, Celebranti, ut commode possit in illud immitti thus. Imposito thure, ac benedicto, claudat Thuribulum, sinistra tenens majorem annulum, cum qua etiam reaccipiat a Diacono sine osculis naviculam, eidemque interim porrigat in dextera catenularum summitatem, & Thuribulum in sinistra, ut ipse commodius ad manus celebrantis contrario modo porrigat, videlicet catenu-

tenulas in finistra, Thuribulum in dextera. Advertat, ut non omnino genufleꝭtat, dum celebrans imponit thus, sed sit quasi genuflexus, nisi ministret Episcopo, quia tunc genufleꝭtat ei, dum thus imponit in Thuribulum. Si vero Thuriferarius teneat naviculam sinistra, Thuribulum dextera tantum manu porrigat per catenularum summitatem; nimis incommodum esset illud ambabus manibus porrigere.

Quomodo se gerit Thuriferarius in Vesperis solemnibus?

Sine Thuribulo vadat in Chorum, ex quo circa finem ultimi Psalmi Vesperarum discedat, & pergat ad Sacristiam ad præparandum ignem in Thuribulo, & inde cum Thuribulo, & navicula, post versum, qui sequitur Hymnum redeat ad Altare, ubi facta genuflexione expectet Celebrantem, eum quo, & aliis genufleꝭtat, & statim ascendat ad suppedaneum Altaris, ubi facta iterum genuflexione, porrigat, ut supra, quasi flexo genu naviculam primo assistenti, & Thuribulum sustineat ante Celebrantem, ut in illud thus immittat, & postea tradat illud assistenti, ut

etiam

etiam ſupra. Cum autem tradiderit Thuribulum aſſiſtenti, facta genuflexione, deſcendat in planum ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtet verſus Altare, depoſita navicula ſupra Credentiam, finita incenſatione ibi etiam recipiat Thuribulum ab aſſiſtente, & mox facta genuflexione cum aliis tradat iterum Thuribulum primo aſſiſtenti, cujus fimbriam pluvialis dextera elevet, dum Celebrantem incenſat, quo incenſato eumdem comitatur, incenſaturum omnes de Choro, ſe inclinans cum illo reverentiam faciente pro dignitate perſonarum; qua incenſatione peracta, ipſe accipiat de manu primi aſſiſtentis Thuribulum, ut illum incenſet duplici ductu, mox aſſiſtentes ad credentiam Acolythos unico ductu, deinde facta genuflexione ante Altare, ter populum incenſet, primo in medio, deinde a dextris, tertio a ſiniſtris ejuſdem populi, ante, & poſt ſe convenienter inclinando, factaque rurſus Altari genuflexione redeat in Sacriſtiam, depoſiturus Thuribulum cum navicula, & deinde in chorum revertatur, ut miniſtret Candelam, aut librum celebranti, ſi opus ſit.

Quo-

Quomodo se gerit in Missa Solemni?

Antequam exeant e Sacristia, porrigat naviculam Diacono, & ministret Thuribulum Celebranti; tum imposito thure in Thuribulum procedat ante omnes, portans Thuribulum eum navicula modo, quo diximus. Hoc intelligendum est, cum Sacerdos planeta indutus immediate celebraturus pergit. Cum pervenerit ante infimum gradum Altaris, retrahat se versus cornu Epistolæ, aditum præbens Ministris, & Celebranti, & cum omnibus genuflectat, retro post Celebrantem, deinde se erigens procedat prope Credentiam, ubi genuflexus cum Acolythis stet, dum fit Confessio, thuribulum leviter agitans. Si tamen facienda sit aquæ benedictæ aspersio, procedat ad Altare, cum Sacerdos incepturus sit Missam. Facta Confessione, & ascendentibus ministris ad Altare, ascendat & ipse ad medium Altaris super suppedaneum, ubi facta genuflexione, se erigat quasi flectens genu dexterum, ac stans a dextris Diaconi ante Celebrantem, naviculam semi apertam tradat Diacono dextera, & mi-

niſtret Celebranti Thuribulum, ut ſupra, dum ponit incenſum, quo facto recipiat Naviculam ſiniſtra de manu Diaconi ſine oſculis, & ſtatim tradat illi Thuribulum clauſum. Dum Celebrans incenſat Altare, facta genuflexione, deſcendat in planum ad cornu Epiſtolæ, ibique ad ipſum converſus, ſtans, expectat finem incenſationis. Interim deficiente Cæremoniario, vel aſſiſtente, amoveat de Altari librum cum cuſſino, depoſita prius navicula ſuper credentiam; & incenſato plano Altaris ejuſdem cornu Epiſtolæ, reponat librum, cum debitis genuflexionibus. Quo facto deſcendat in planum juxta cornu Epiſtolæ, & peracta incenſatione Celebrantis, recipiat Thuribulum a Diacono a dextris ejus ſtans, quod in loco congruo collocet, & redeat ad credentiam, vel cum Thuribulo redeat in Sacriſtiam, quia non habet locum ſtabilem in presbyterio.

Thuriferarius inſuper poſt Epiſtolam, lecto etiam a Celebrante Evangelio aſcendat ad Altare cum debitis genuflexionibus, ibique miniſtret naviculam, & Thuribulum ut ſu-

ſupra. Impoſito, & benedicto thure receptaque navicula manu ſiniſtra, deſcendat tenens dextera Thuribulum, & eamdem naviculam, ſiniſtra, & facta genuflexione cum Acolythis præeat. Diacono cantaturo Evangelium porrigat pro incenſatione libri Evangeliorum, cum dixerit *Initium*, vel *Sequentia*,&c. Thuribulum hoc modo: ſummitatem catenularum illi in ſiniſtra manu porrigat, in dextra vero eaſdem ſimul unitas prope Thuribulum clauſum abſque oſculis, & reverentiis. Dum cantatur Evangelium, ſtet poſt Diaconum ad ſiniſtram ejuſdem, & agitet leviter Thuribulum elevata aliquantulum operculi catenula, ne ignis extinguatur. Finito Evangelio, tradat Thuribulum Diacono, & ſtet in plano quaſi a dextris Diaconi, dum Celebrantem incenſat, deinde accepto Thuribulo de manu Diaconi, genuflectat iterum, illudque loco congruo deponat, ac ſtatim ad credentiam redeat, vel Sacriſtiam cum Thuribulo, ut diximus.

Peracta oblatione, aſcendat ad Altare cum ſolitis reverentiis miniſtraturus naviculam, & Thuribulum, ut

ut supra, & statim dato Thuribulo Diacono, facta genuflexione descendat in planum, & deposita navicula supra Credentiam, deficiente cæremoniario, vel assistente, librum cum cussino de Altari amoveat cum reverentiis ante, & post, & descendat in planum, juxta cornu Evangelii, quo incensato reponat librum, & redeat per planum Cappellæ, genuflectens in medio, ad cornu Epistolæ, ibique stet post Diaconum incensantem Celebrantem.

Hoc peracto comitetur Diaconum in chorum, præcedendo, ad quem cum pervenerit, salutatis Clericis ab utraque parte, accedat ad digniorem, & reliquos gradatim de choro, quos Diaconus thurificat de more, factis ab utroque debitis reverentiis ante, & post, pro dignitate personarum; qua incensatione peracta, redeat præcedens ad Altare, ibique facta genuflexione, post eundem stet, dum Subdiaconum incensat, deinde accepto de manu Diaconi Thuribulo, eumdem Diaconum thurificet duplici ductu, cum debitis inclinationibus ante,

te,

te, & poſt, deinde Acolythos ſtantes ad credentiam unico ductu, poſtea populum eo modo, quo ſupra dictum eſt.

Finita hac incenſatione redeat vel in Sacriſtiam, vel ad credentiam, ut diximus, expectaturus elevationis tempus, quo pervento accedat ad infimum gradum in plano, ante cornu Epiſtolæ, ibique genuflexus, immiſſo per ſeipſum thure in Thuribulum ſine benedictione, ter incenſet SS. Sacramentum in utraque elevatione, ſcilicet cum Celebrans illud adorat, cum illud elevat & cum illud deponit, profunde ſe inclinans ante & poſt incenſationem, deinde facta iterum genuflexione cum navicula, & Thuribulo redeat in Sacriſtiam, ubi depoſito Thuribulo cum navicula, ſe conferat iterum ad credentiam, ut deficiente Cæremoniario, vel alio Miniſtro recipiat ambabus manibus ſub finem Orationis Dominicæ velum Subdiaconi reportandum ſuper credentiam, ac plicandum, genuflectens in acceſſu, & receſſu ab eodem Altari, ut comitetur Subdiaconum pacem datu-

daturum in chorum. Data pace Choro, redeat ad Altare, ubi facta genuflexione, eam capiat ab eodem Subdiacono cum osculo, factaque iterum genuflexione, eam separatim det aliis Acolythis, si sint a se invicem distantes a lateribus credentiæ, vel solum digniori, si sunt contigui, per mutuum amplexum, & osculum: deinde laicis cum instrumento, si opus sit. In fine Missæ, cum non adsit Cæremoniarius, porrigat Diacono birretum Celebrantis, deinde illud ipsius Diacono, sicut etiam Subdiacono. Completa Missa, & facta cum aliis genuflexione, præcedendo Ceroferarios manibus junctis redeat in Sacristiam, ibique facta Cruci debita reverentia, adjuvet ministros sacros paramenta sua deponentes.

Quomodo se gerit in absolutione, & exequiis Defunctorum?

Initio Missæ procedat absque Thuribulo, & maneat ad confessionem genuflexus prope credentiam, ad Orationem, seu plures pariter genuflectat, sicut Chorus. Ministret librum Subdiacono, eumque comitetur ad Epistolam, & ea finita post genuflexio-

flexionem, illum recipiat, & ponat super credentiam; præcedatque ad Evangelium, & accepto in fine Evangelii libro a Subdiacono, post factam genuflexionem illum reponat super credentiam. Hæc omnia facienda sunt Thuriferario, deficiente Ceremoniario: post oblationem ministret naviculam, & Thuribulum, ut supra, quod incensato Celebrante recipiat. Ad elevationem accedat ad cornu Epistolæ, ibique Thuribulum porrigat Subdiacono, in eodem cornu genuflexo, qui prius stans, ibidem posuit thus in eo, ut Sanctissimum Sacramentum incenset modo, quo diximus, & tunc Thuriferarius maneat genuflexus in plano. Post elevationem recipiat Thuribulum cum navicula, quod statim reportet in Sacristiam, ubi curet, ut ignis pro absolutione non deficiat. Ad absolutionem deferat thuribulum ante crucem, facta prius Altari genuflexione cum socio suo, portante vas aquæ benedictæ a sinistris ejus; & cum pervenerit prope caput lecticæ, sinens abire Subdiaconum ad pedes ipsius lecticæ, retro post Celebrantem firmet
se

ſe a dexteris ſocii ſui in cornu Epiſtolę. Cum cantatur ultimus verſus Reſponſorii *Libera me Domine*, facta genuflexione in medio, porrigat Diacono naviculam, ſtans a dexteris ejus, & ante Celebrantem, cui miniſtret thuribulum, ut in illud thus imponat. Deinde recedat ad priorem locum genuflectendo prius in medio, & facta aſperſione lecticæ a Celebrante, thuribulum tradat eidem Diacono, factaque incenſatione illud recipiat. In exequiis eadem agat, ſed cum poſt Reſp. *Libera &c.* incenſationem corporis, & Orationem, corpus ad locum ſepulturæ defertur, ipſe præcedat iterum Crucem, ibique ſtet poſt Celebrantem, ut ſupra, & porrigat naviculam, & thuribulum Diacono, ut illud miniſtret Celebranti, quando opus eſt, ad incenſandum corpus, & locum defuncti ante Canticum *Benedictus*.

Quomodo denique ſe gerit Thuriferarius in Proceſſionibus.

Ad Proceſſionem SS. Sacramenti duo Thuriferarii aſſiſtant, quantum fieri poſſit ambo procedant moventes continue, & tractim manibus dextris

ſua

sua thuribula de iisdem pendentia, & fumantia, altera manu pectori posita, terga minime vertentes SS. Sacramento. Idem servari potest in translatione solemni Reliquiarum. In aliis Processionibus Thuriferarius unicus præcedat crucem, portans thuribulum dextera, naviculam sinistra æqualiter elevata usque ad pectus. Hæc omnia ad litteram, paucis immutatis, hausimus ex Manuali Eruditissimi Michaelis Bauldry, *part.* 1. *cap.* 15. *art.* 1. 2. 3. 4. *&* 5.

De Ritibus, qui ab Acolytho, in exercendo proprio munere, sunt servandi.

CAPUT II.

Acolythi solemni officio inservientes, quomodo incedere, candelabraque deferre debent.

Acolythi, cum Ceroferariorum munere funguntur, quoad fieri potest, sint statura pares, parique motu incedant, ità ut qui a parte dextera incedit, teneat dextera candelabri globum medium, sinistra vero ejusdem pedem; qui cin-

gulo respondeat; qui autem a sinistris procedit, e converso manu sinistra candelabri nodum, dextera vero pedem sustineat. Cum autem ea sumpturi sint, semper ea manibus nudis, & discoopertis sumant, æquali altitudine illa tenentes elevata, & recta, non inclinata. Si vero isti accendere cereos tam ad Vesperas, quam ad Missam, & aliud officium solemne debeant, ambo facta genuflexione ante, & post, Altari, accendant a parte sua primum cereos, qui sunt medio Altaris, seu Cruci proximiores, deinde remotiores. Si vero extinguendi sunt prædicti cerei, extinguant ordine retrogrado, incipientes a remotioribus a Cruce. Adverto, quod si unus tantum sit, qui cereos accendit, incipiat ab iis, qui sunt a parte Epistolæ, Cruci altaris proximiores, tum eos qui sunt a parte Evangelii, & pari modo, & eos extinguat modo contrario, incipiendo a remotioribus a Cruce.

Ad Vesperas solemnes quomodo procedunt Acolythi?

Ad Vesperas, antequam ultimum signum detur, superpelliceis indu-

ti accendant cereos in duobus candelabris, & ante ostium sacristiæ expectent Celebrantem, quo cum ille pervenerit, caput inclinent, & procedant pares detecto capite, gestantes candelabra eodem modo, quo diximus, qui ante altare se sistentes, formantesque cum Ministris paratis, quasi lineam rectam, cum illis genuflectant ad angulos infimi gradus omnium postremi, & aliquantulum orantes; interim deponant candelabra super Credentiam, vel si non adsit super Altare, ipsi vero procedant ad propria loca, cantentque cum aliis in Choro Antiphonas, & Psalmos.

Dicto versiculo *Gloria Patri* ultimi Psalmi, ad quem sive in via, sive in suo proprio loco sint, sistant se, & inclinent se profunde Altari, sumant candelabra cum cereis accensis, accedant ad Celebrantem, & facta ei debita reverentia, coram eo stent in plano hinc inde, facie ad invicem, vel ad eumdem Celebrantem versa, si commode fieri potest, ita ut neque Altari, neque Celebranti terga vertant, atque maneant, donec Celebrans, dicto Capitulo, inchoaverit Hymnum, quo in-

choato, facta Celebranti inclinatione, recedant, & Candelabra, ubi prius, deponant, facta prius, & post, debita genuflexione Altari, tum ad loca sua recedant. Si Celebrans intonat hymnos *Veni Creator*, vel *Ave Maris stella*, non recedant, nisi post absolutam strophem, ad quam non genuflectant sed firmi stent, oculis ad terram demissis, ac si duo marmorea simulacra essent; licet omnes alii genuflectant.

Circa finem Antiphonæ repetitæ post Magnificat, resumptis candelabris cum cereis accensis, accedant rursus cum debitis reverentiis ad Celebrantem, coram quo stant modo, quo diximus, completisque Vesperis discedant eodem modo, quo venerunt. Quod si officium terminetur ad Vesperas, reponant candelabra, & postea, completa Antiphona Beatæ Virginis, recipiant, & reducant Celebrantem in Sacristiam, ubi facta debita reverentia Cruci, & ipsi Celebranti, depositis candelabris, adjuvent assistentes dum se exuunt.

In officio Defunctorum solemni, ad Vesperas dum repetitur Antiphona post Magnificat, capiant candelabra,

labra, ea teneant ante Celebrantem stantes eo modo, quo ad Vesperas. Adverto, quod si locus, per quem transeundum est, sit angustior, Ceroferarii semper post Thuriferarium præcedant alios; & si alteri tantum aditus pateat, junior regulariter præcedat, subsequatur senior.

Missæ solemni qua ratione assistunt Acolythi?

Cum candelabris suis accensis procedant ad Altare e Sacristia modo, ut supra ad Vesperas. Cum pervenerint ad Altare, genuflectant hinc inde, ritu, quo supra, ante infimum gradum a lateribus aliorum, tum surgant, & reponant candelabra sua accensa super cornua posteriora credentiæ, vel super cornua mensæ anteriora, ad differentiam candelabrorum, quæ collocantur in Altari, & ut rursus ea commode reaccipere possint: si vero, qui transit a cornu Evangelii ad cornu Epistolæ, nec genuflectere in medio, nec inclinare iterum debeat, quia prima genuflexio sufficit; depositis candelabris genuflectant hinc inde a lateribus credentiæ, faciebus ad Altare conversis, & ma-

nibus junctis. Facta confessione, dum Celebrans ascendit ad Altare, surgant, & stent in plano prope credentiam, versis faciebus ad Altare, & manibus junctis, vel pectori decenter admotis: neque unquam diurnale, vel quoscumque libros, aut Rosaria præ manibus teneant.

Dictis orationibus alter ex Ceroferariis comitetur Subdiaconum cantaturum Epistolam, qua terminata, dumque Diaconus, accepta benedictione a Celebrante pro Evangelio, descendit de Altari cum libro, & non prius, accipiant candelabra sua utrique, & sequantur Thuriferarium ad Altare per planum, in quo Acolythi genuflectant, dum reliqui Ministri genuflectunt super gradum infimum: tum procedant ad locum Evangelii, ibique alter a dextris, alter a sinistris Subdiaconi, stabunt usque ad finem Evangelii, facie ad Diaconum conversa, nullo modo se signantes, nec capita unquam inclinantes, nec genuflectentes, cum candelabra immobilia repræsentent, licet alii genuflectant.

Cantato Evangelio, statim sine mora præcedentes Diaconum redeant ad-

cre-

credentiam deposituri candelabra, genuflectentes Altari cum eodem Diacono, & sese Celebranti stanti in Cornu Epistolæ inclinantes.

Ad Offertorium inchoatum alter ex Ceroferariis adjuvet ad Credentiam Subdiaconum in tegendis ejus humeris cum velo, & sequatur illum, deferens pelviculam cum ampullis vini, & aquæ, easque, cum pervenerit ad Altare, successive tradat Subdiacono, prius ampullam vini, deinde illam aquæ sine osculis, easdemque etiam ab eodem Subdiacono receptas deferet ad credentiam, ubi stet, dum Celebrans incensat Altare.

Dum Diaconus incensat Celebrantem, unus ex Acolythis accipiat de credentia pelviculam manu sinistra, & dextera ampullam aquæ, eaque deferat ad Altare, comite alio Acolytho a sinistris suis manutergium plicatum portante, ibique stant post Diaconum incensantem Celebrantem, post cujus incensationem, primus ministret aquam ad digitorum ablutionem, fundens eam super indices, & pollices illius, supposita pelviculа; alter vero subministrat manuter-

gium, servatis ab utroque debitis reverentiis absque genufluxione, & cum quasi osculis ampullæ, & manutergii ante, & post. Deinde facta reverentia recedant eo modo, quo venerant, & reponant omnia super credentiam, effusa aqua ex pelvicula in locum congruum, & plicato manutergio.

Ad Sanctus, & ad elevationem, alter ex Acolythis pulsat campanulam, ut moneantur ii, quibus pulsandæ sunt majores campanæ, ubi est hæc laudabilis consuetudo, aliter abstineat, cum organum pulsetur ejus vice. Post præfationem accendantur duo saltem intortitia ab Acolythis, quæ extinguuntur post sumptionem utriusque speciei, vel ut alii volunt, post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi. Sed primus ritus est in praxi servandus.

Circa finem Orationis Dominicæ, deficientibus aliis ministris, unus ex Acolythis accedat cum debita genuflexione accepturus ambabus manibus velum oblongum ab humeris Subdiaconi, quod, facta iterum genuflexione, reportat ad credentiam, super quam illud plicatum prius collo-

cat.

cat. Acolythi vero ſtent, vel genuflectant, prout Chorus, excepto tempore, quo peracturi ſint munus ſuum. Deficientibus miniſtris, dignior facta genuflexione comitetur Subdiaconum ad Chorum eum præcedendo, ad pacem deferendam omnibus iis, quos incenſavit Diaconus. Poſtea ſi danda ſit Pax cum inſtrumento aliis, quos Diaconus non incenſavit, illo inſtrumento Pacis accepto, det ipſe pacis inſtrumentum Laicis oſculandum. Si in Miſſa ſolemni fiat communio Cleri, vel Populi, dicto Confiteor, Acolythi a lateribus Altaris in ſuperiori gradu extendant linteum mundum genuflexi, facie ſibi invicem verſa. Si non fit communio, dum Celebrans ſumit Sanguinem pretioſum, alter Acolythorum deferat ampullas vini, & aquæ cum pelvicula ad Altare ſine genuflexione, quas ſine oſculis Subdiacono ſucceſſive porrigat, eaſque receptas referat ad credentiam. Ille vero, qui comitatus fuit Subdiaconum, portat interim parvum velum plicatum de credentia ad Altatare in cornu Evangelii, genuflectens in medio, ut tegat Calicem Subdiaco-

nus, qui, nisi redierit ad Purificationem, suppleat Acolythus in ministrandis urceolis pro Calicis purificatione.

Ad Benedictionem Celebrantis in fine Missę genuflectant Acolythi signantes se, sinistra manu apposita infra pectus. Ad Evangelium stent, se signent, & ad *Verbum caro* genuflectant versus librum, non Crucem.

Finito Evangelio, & non prius, resumptis e credentia candelabris cum cereis accensis, accedant per planum ad cornua hinc inde infimi gradus, ubi genuflectant cum aliis, & salutato choro, si fieri potest, recedant ordine, quo venerant, in Sacristiam, ibique facta iterum reverentia imagini, & Celebranti, ponant candelabra in locis suis, & adjuvent ministros, dum deponunt sacras vestes.

In Missis Defunctorum, & Sabbato Sancto ad Evangelium, nec non ad illam partem passionis, quæ dicitur in tono Evangelii, assistant sine candelabris, junctas tenentes manus, hinc inde a lateribus Subdiaconi, & in Dominica Palmarum, si talis sit consuetudo, ad prædi-

ctam

ctam partem ſtantes teneant palmas.

Ad abſolutionem in fine Miſſæ deferant candelabra habentes Subdiaconum medium. Cætera peragant, ut in aliis Miſſis.

In omnibus proceſſionibus, etiam in exequiis, regulariter habeant medium Subdiaconum, aut alium Clericum Crucem deferentem. Ita hæc omnia ex laudato Bauldry, ex Piſcara, Caſtaldo, & ex Corſetto.

De Ritibus, quos Subdiaconus, in obeundo proprio officio, debet adhibere.

CAPUT III.

Recenſe cæremonias, quibus in Miſſa ſolemni uti debet Subdiaconus.

DAto ſigno campanarum pro Miſſa ſolemni, accedat ad Eccleſiam, ubi aliquantulum oret, vel in Sacriſtia, quo facto, Epiſtolam perlegat, & ſignaculo notet, lotis prius, ac terſis manibus, Calicem aptet, purificatorium ſuper expandens, ſuper quod ponat patenam cum hoſtia integra, ac bene terſa, dein-

de pallam, postea velum parvum, ac bursam desuper, cum Corporali intus incluso. Tum accedens ad Mensam paramentorum induat se Amictu, cujus crucem osculetur, Alba, & Cingulo, dicens si velit, quod tamen non est necesse, orationes ad singula paramenta, postea Celebrantem se induentem una cum Diacono stans a sinistris ejus adjuvat, & induto Celebrante ipse, & non prius, accipiat Manipulum, osculando ejus Crucem, & Tunicellam, quam in diebus jejuniorum non induat.

Subdiaconus, propriis indutus paramentis, facta prius cum aliis imagini principali in Sacristia, & Celebranti profunda reverentia, demissis oculis, junctis manibus, ante pectus, coopertoque capite præcedens immediate Diaconum, & hic Sacerdotem, procedat ad Altare. Si vero celebrans procedat cum pluviali, aut stola tantum, ut passim accidit, incedat a sinistris illius, elevans sinistram fimbriam pluvialis, si eo utatur. Si transeat ante Altare majus, ad quod Missa non sit celebranda, semper genuflectant nudo capite una cum Dia-

cono

cono (excepto Celebrante, qui solus caput profunde inclinat). Si vero ibi adsit Tabernaculum, in quo sit Sanctissimum Sacramentum, omnes genuflectant.

Ubi pervenit ad Altare, se sistat a sinistra Celebrantis, detectoque capite, tradendo biretum suum Cæremoniario, formando cum cæteris Ministris quasi lineam rectam, genuflectat semper (si non sit Canonicus, qui non genuflectit Cruci, sed tantum caput profunde inclinat) licet non sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti.

In minus solemni, ubi pervenit ad Altare, facta genuflexione, ascendat ad ipsum, depositoque ad cornu Evangelii Calice, quem detulit e Sacristia, explicat Corporale, ita ut ora Corporalis oram Altaris tangat, collocetque in medio calicem, sic velo coopertum, ut in anteriori parte lateat totus Calix. In Missa vero solemni collocatur calix instructus necessariis super Credentia.. Hoc peracto, junctis manibus, descendat, ubi denuo genuflectat.

De-

Deinde erectus stans a sinistra celebrantis signet se cum celebrante, & pari voce una cum Diacono submisse respondeat, & quoties se celebrans signat, seipsum signet, & quoties celebrans se inclinat, & ipse inclinet. In confessione inclinatus respondeat: ad *tibi pater*, *&* *te pater*, inclinet versus celebrantem. Dicens *mea culpa*, ter dextera percutiat pectus, sinistram infra pectus tenendo; ad *Misereatur* adhuc inclinatus maneat, ad *Indulgentiam* se erigat, postea inclinatus versus Altare maneat.

Cum Sacerdos ascendit ad Altare, Subdiaconus dextra manu albam, & vestem anteriorem celebrantis parum elevet, ne implicetur; & cum pervenerit ad Altaris mensam, dum Sacerdos osculatur Altare, ipse non osculando, neque tangendo Altare, manibus junctis genuflectet suo loco, & statim surgat, quod semper observare debet.

Dum celebrans benedicit, & ponit thus in thuribulum stet quasi a sinistris ejus, aliquantulum post eum; in ipsa vero incensatione, dextera elevet eam planetæ partem, quæ est

circa

circa brachium finiſtrum celebrantis, ne impediatur, alteram vero manum pectori admoveat, & ſemper Cruci genuflectat cum Diacono, dum per medium tranſeunt.

Facta incenſatione Altaris, ſine genuflexione, accedat ad latus Epiſtolæ, ubi dum celebrans incenſatur a Diacono, ſtet a ſiniſtris Diaconi manibus junctis, nec cum Diacono inclinet caput celebranti.

Deinde per planum accedat ad dexteram Diaconi in recta linea, ibique nihil dicens, ſtet manibus junctis, ea diſtantia, qua Diaconus diſtat a celebrante, quod ſemper ſervatur, quando ſtatur. Ad principium introitus ſe ſignet, ſicut mediocriter ſe inclinat ad *Gloria Patri* verſus Crucem.

Ad *Kyrie* reſpondeat alternatim celebranti una cum Diacono in eodem cornu Epiſtolæ, ubi maneat uſque ad ultimum *Kyrie*, quod in choro cantatur, quo cantato accedat per planum ultimum omnium ad medium Altaris, ibique ſtet in plano ante gradum infimum poſt Diaconum, formans rectam lineam. Ubi celebrans intonuerit Hymnum

An-

Angelicum *Gloria in excelsis*, inclinet caput ad verbum, *Deo*, & postea facta genuflexione in medio, (non alia iterum ad Altare) accedat ad Altare, & stans a sinistris celebrantis, cum quo, & Diacono manibus junctis, & submissa voce recitet Hymnum totum usque ad finem, inclinans se, & in fine se signans cum eis, non præveniendo, sed potius subsequendo vocem celebrantis, quod servatur etiam in symbolo.

Hymno Angelico dicto, si sedendum non sit, remaneat ibidem a sinistris celebrantis, paululum retro, & circa finem Hymni, facta genuflexione, descendat in planum post Diaconum. Si vero sedendum sit, facta a Subdiacono genuflexione, præcedat Diaconum, eundo ad sedem paratam per breviorem viam, idest per gradus laterales Epistolæ, ad quam perveniens inclinet se debite accedendo celebranti, ac posteriorem planetæ illius partem a latere suo elevans, sic eam aptet, ut a tergo concinne dependeat, deinde sibimet similiter elevet manu sinistra posteriorem Tunicellæ partem, ne de-

super

ſuper ſedeat: tum facta celebranti capitis inclinatione, ſedeat a ſiniſtris ejus, corpore convenienter erecto, manibus ſuper Tunicellam decenter compoſitis, & inſertis inter ſe digitis, atque cooperto capite, quod tamen toties aperiat cum inclinatione, quoties aperit, & inclinat celebrans, quod obſervandum eſt etiam in ſymbolo.

Dum cantatur in Choro: *Cum Sancto Spiritu*, ſurgat, deponat biretum, & facta celebranti inclinatione, procedat ante Diaconum ante medium Altaris; per planum Capellæ, ubi genuflectat a ſiniſtris celebrantis in ipſo gradu infimo, & ad ſecundum aſcendens, anteriores ejus veſtes aliquantulum elevet a parte ſua, ac mox deſcendat in planum poſt Diaconum.

Quoties celebrans in Miſſa ſolemni vertit ſe ad populum, & dicit *Dominus vobiſcum;* Subdiaconus ſtet in plano Capellæ formando lineam rectam.

Dicto a celebrante *Dominus vobiſcum*, accedens ad cornu Epiſtolæ ſtet poſt Diaconum, ibique quando dicitur *Flectamus genua*, cum aliis ſtatim ge-

genuflectens, & primus omnium surgens, eadem voce, eodemque tono subdat: *Levate*.

Circa finem ultimæ Orationis, Subdiaconus accipiat ab assistente, vel Acolytho ambabus manibus librum Epistolarum, quem portet ante pectus, quidem erectum, sed a superiori parte, nonnihil super pectus reclinatum, tenens eum per angulos inferiores, atque ita incessum suum temperet, ut genuflectat super infimum gradum eo tempore, quo verba, *Jesum Christum*, dicuntur in clausula Orationis, hinc facta genuflexione in medio Altaris procedat ad cantandam Epistolam in cornu ejusdem Altaris in plano, tenens sibi ipsi librum utraque manu.

Epistola cantata, Subdiaconus claudat librum, eumque modo, quo supra, deferens ante pectus redeat ad medium Altaris, ubi præmissa rursus genuflexione, accedat ad Celebrantem in cornu Epistolæ, ubi genuflexus deflectens partem superiorem ipsius libri, superpositam celebrantis manum reverenter osculetur, capiteque inclinato stet, cum ab eo benedicitur.

Tum

Tum idem Subdiaconus surgat, reddat librum Epistolarum ministro comiti, & accipiat Missale celebrantis, quod deferat clausum, ante pectus elevatum, ad cornu Evangelii ex parte, qua aperitur, ad sinistrum suum latus conversa, & transiens ante medium Altaris per planum genuflectat retro Diaconum. Missale vero ita locet, apertum in cornu Evangelii, ut medium libri respondeat angulo ipsius Altaris, & pars inferior Altare tangat, superior vero pulvino adhæreat. Deinde stans ad sinistram celebrantis in secundo gradu, vel alio commodiori, ministrat ei, tenens librum manu sinistra, & illud elevans, si opus sit, & folia vertens dextera, qua etiam indicat Evangelium, & alia signans, & inclinans se, & genuflectens cum eo, (nisi teneat librum) & eidem respondens, *Et cum Spiritu tuo*, *Gloria tibi Domine*, & in fine, *Laus tibi Christe*. Tum deferat Missale cum pulvino circa medium Altaris prope Corporale. Tum facta genuflexione ibidem, descendat in planum, ubi stet retro post celebrantem, non omnino ante medium Altaris, sed inter

ipsum

ipſum medium ipſius, & cornu Evangelii.

Cum Diaconus petit benedictionem, Subdiaconus ſtat, niſi coram Epiſcopo celebretur, quia eo caſu, & ipſe genuflectat. Tum facta prius Altari a ſiniſtris Diaconi genuflexione, ſimul cum eo incedat a ſiniſtris manibus junctis, ad locum Evangelii, ubi accipiat librum a Diacono, eumque ambabus manibus apertum teneat ante pectus, & elevatum, ita ut pars ſuperior libri ſit oculis ſuis aliquantulum altior, nec umquam ibi ſe inclinet, aut genuflectat, nec ſe ſignet, cum immobile, ac marmoreum legile repræſentet.

Cantato Evangelio, Subdiaconus ſtatim recta via tenens adhuc librum apertum, nulli ſe inclinando, neque Altari, etiam, in quo ſit Sanctiſſimum Sacramentum, & hoc ob reverentiam Sancti Evangelii, celebranti oſculandum in loco ubi eſt principium Evangelii cantati, offerat; clauſo deinde libro, paulilum ſe retrahens, celebranti ſe inclinat profunde, atque in medium ante infimum gradum reverſus, facta ibi Altari genuflexione, reddat librum Acolytho.

Dum

Dum celebrans intonat symbolum, stet retro post Diaconum, ad verbum, *Deum*, inclinet caput, & facta genuflexione, ascendat cum Diacono ad Altare, ubi stans a sinistris Celebrantis prosequatur cum eodem submissa voce Symbolum eo ritu, quo Hymnum Angelicum, simul cum ipso se inclinans, & genuflectens: ad verba; *Et vitam venturi sæculi*, se signat; & ad verbum *Amen*, jungat manus. Post symbolum recitatum, si celebrans velit sedere, sedem suam petat, ut ad *Gloria in excelsis*; & cum cantatur in Choro: *Et incarnatus est &c.* capite detecto profunde se inclinet. In tribus vero Missis *Nativitatis Domini*, & in festo *Annuntiationis Mariæ Virginis*, genuflectat cum Diacono, & Celebrante. Versu completo, surgat, stetque nudo capite, dum Diaconus defert bursam corporalium ad Altare, idemque expectet adventum Diaconi, ac redeunti inclinet caput, & sedeat cum eo, & caput tegat, sicut prius. Circa finem symboli, quod cantatur a Choro, redeat cum celebrante ad Altare eo modo quo ad *Gloria in excelsis*; factaque genuflexione

ne retrocedat post Diaconum in plano, ubi stet dum Celebrans dicit: *Dominus Vobiscum*. Si autem celebrans non sedeat, maneat stans a sinistris illius paululum retro, & paulo antequam dicatur a Choro: *Et incarnatus est*, descendens ad secundum gradum genuflectat ab eodem latere, & cum eodem Diacono a parte sua Planetæ partem posteriorem celebrantis adaptet super pedes ejus; deinde surgat, & stet, ut prius, a sinistris ejus; cum vero accedat Diaconus Bursam Corporalium ad altare deferens, recedat paululum versus cornu Evangelii, cedens locum celebranti, ut medium altaris quasi totum relinquat Diacono. Circa finem Symboli cantati a Choro, facta prius genuflexione, descendat post Diaconum in planum, ubi stet dum celebrans dicit *Dominus vobiscum*.

Dicto a celebrante *Oremus*, genuflectat, & ad credentiam accedat ubi juvante Acolytho, vel Cæremoniario, velum oblongum super humeros accipiat, ita ut pendeat longius a parte dextra, & aciculis firmetur, ut non defluat: deinde parvo Calicis velo super Credentiam de-

po-

posito, ipsum Calicem sinistra manu eaque nudâ, accipiat per nodum, cum Purificatorio, Patena, Hostia, & Palla: & quando non dicitur *Credo;* bursam etiam deferat, & hæc omnia, longiori parte veli a collo pendentis operiat, apponensque manum dexteram super ipsum velum, & Calicem, caute advertat, ne aliquid forte decidat, accedat ad Altare per viam breviorem, idest per latus Epistolæ, comitatus ab Acolytho cum urceolis vini, & aquæ.

Cum accedat ad Altare, non genuflectat, nisi Sacramento exposito, sed ascendens recto itinere, deponat Calicem in cornu Epistolæ; atque statim remota per Diaconum longiori parte veli, quæ tegebat Calicem. Si bursam Corporalium simul attulerit, continuo tradat illam Diacono, qui extrahit ex illa Corporale, ac explicat in medio; tum amota etiam per Diaconum Palla, & Patena, interim Subdiaconus purificatorio abstergat intus Calicem per nodum captum, quem statim extersum tradat Diacono sine osculis, ampullamque vini ab Acolytho sibi traditam Dia-

cono

cono porrigat, ac eo vinum infundente in Calicem, ipse accipiat ampullam aquæ ab eodem Acolytho, quam tenens dextera aliquantulum elevatam per manubrium, oſtendat celebranti, ac parum inclinatus ſubmiſſa voce dicat: *Benedicite Pater Reverende*, a quo ſuper eam facto ſigno Crucis, ipſe paucas aquæ guttas infundat in Calicem, ſtatimque ſiniſtra recipiat ampullam vini de manu Diaconi, & utramque ſimul reddat Acolytho.

Poſt oblationem Calicis, Subdiaconus adhuc ſtans in cornu Epiſtolæ, recipiat in dextera manu nuda patenam a Diacono, quam ille extremitate veli pendentis ab ejus humeris contegit, ita ut pars interior, ſeu concava Subdiaconum reſpicere debeat. Quo facto ſine genuflexione deſcendat in planum poſt celebrantem ad medium Altaris, ubi facta genuflexione, immotus ſtet ſuſtinens eam elevatam ob oculos, & ſiniſtra manu ſuſtentans brachium dextrum, ſi opus ſit, quam ſic teneat uſque ad finem Orationis Dominicæ, non genuflectens, nec ſe inclinans, quoties celebrans cum Diacono genuflectit,

neque

neque etiam folia Miſſalis vertens, abſente Diacono, vel alio. Cum celebrans dicit *Orate fratres*, ipſe reſpondeat *Suſcipiat*, & cum a Diacono incenſatur, converſus ad illum caput inclinet ante, & poſt incenſationem, & aliquantulum demittat patenam ad pectus, quam poſtea iterum elevat.

Dum celebrans dicit in præfatione *Deo noſtro*, inclinet caput ſtans retro in ſuo loco, & paulo antequam dicatur *Sanctus*, facta genuflexione in loco ſuo, Subdiaconus cum Diacono aſcendat ad Altare ad ſiniſtram celebrantis, ubi mediocriter inclinatus cum illo dicet *Sanctus*, & quæ ſequuntur, & ad *Benedictus, qui venit*, ſe erigat, nec tamen ſe ſignat, quia patenam ſuſtinet. Dicto ultimo *Hoſanna in excelſis* facta genuflexione, revertatur ad locum ſuum poſt celebrantem.

Paulo ante elevationem SS. Sacramenti genuflectat ibidem ſuper infimum gradum in medio poſt celebrantem eodem tempore, quo Diaconus, ſicque genuflexus remaneat, uſque ad elevationem Calicis, & genuflexionem celebrantis poſt eam inclu-

ſive, qua facta ſurgat, ac ibi remaneat ſemper ſtans, nec genuflectat, nec ſe ſignet, nec ſe inclinet, niſi poſt depoſitam patenam, Celebrante, & Diacono etiam genuflectentibus.

Quando in Oratione Dominica celebrans dicit *Et dimitte nobis debita noſtra &c.* facta ibidem genuflexione, aſcendat ad Altare, & ſtans in cornu Epiſtolæ porrigat Dacono patenam, quam ipſe Diaconus prius detegens accipiat, tum amoto per ſeipſum, & non per alium velo, quod ab humeris ejus pendebat, illud tradat in manus Cæremoniarii, vel Acolythi deferendum ſuper Credentiam; deinde ibidem genuflectat, & redeat ad locum ſuum in medium poſt celebrantem.

Cum dicitur *Pax Domini &c.* iterum genuflectens aſcendat ad Altare ad ſiniſtram celebrantis, cum quo iterum genuflectat, ac mediocriter inclinatus dicat ter ſubmiſſa voce, *Agnus Dei &c.* dextera pectus percutiens cum ipſo celebrante, ad verbum *nobis*, tenens interim ſiniſtram infra pectus, deinde facta prius Sacramento genuflexione, redeat poſt celebrantem, ubi ſtet, ut prius, donec a Diacono pacem acceperit.

Poſt-

Poſtquam Diaconus acceperit pacem a celebrante, eam det Subdiacono, ſiniſtro genui mutuo amplexu ſibi invicem appropinquantibus ſine contactu, ita ut brachia ſua ſupponat brachiis Diaconi eique dicenti: *Pax tecum*, reſpondeat, *Et cum Spiritu tuo*. Accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadat ad Chorum, & det pacem primo ejuſque Ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis per mutuum complexum eo modo, quo accepit a Diacono. Nulli, quamvis in dignitate conſtituto, reverentiam faciat, niſi poſt datam pacem.

Poſt datam pacem in choro, Subdiaconus ſtatim cum ſocio, facta choro inclinatione redeat ad Altare, ubi in infimo gradu genuflectat, & ſtans det pacem ſocio, qui ipſum comitaverat. Tum facta iterum genuflexione vadat ad dexteram celebrantis, & profunde ſe inclinet verſus Altare, dum celebrans ſe communicat ſub utraque ſpecie, & dum celebrans incipit *Quid retribuam Domino*, diſcooperiat Calicem, genuflectat, ſurgatque. Deficiente Subdiacono, Diaconus ſuppleat vices ipſius.

psius. Cum sumpserit Sanguinem, Subdiaconus accipiens dextera manu ampullam vini de manu Acolythi, vinum infundat ad purificationem in Calicem super Altare porrectum a celebrante, cum osculo ampullæ, & debitis reverentiis, statimque sumens ampullam aquæ sinistra, & ampullam vini retinens dextera, fundat rursus ad ablutionem modicum vini, & protinus modicum aquæ super indices, & pollices celebrantis, prius ampullas singulas deosculans, & parum versus celebrantem se inclinans. Deinde redditis ampullis Acolytho, vel depositis intra pelviculam, pergat ad cornu Evangelii, facta in medio super infimum gradum genuflexione, cedens gradum superiorem Diacono transeunti cum libro, ibique extergat Calicem purificatorio, & extersum cooperiat eodem purificatorio, patena, & palla, plicatum corporale reponat in Bursam, & accepto parvo velo plicato ab Acolytho, extendat illud super prædictum Calicem, tum superponat bursam, & anteriorem veli partem super oram bursæ replicet, solusque sine socio non tradens alicui Acolythorum

rum

rum reportet illum per viam breviorem ad Credentiam, genuflectens in medio plani super infimum gradum, quo reposito cum eodem velo parvo illud cooperiat a parte anteriori, ne amplius videatur, ut in principio Missæ, quod non caret mysterio.

Reposito Calice super Credentiam, confestim absque ulla genuflexione redeat ad latus Epistolæ, ubi stet post Diaconum, dum dicuntur Orationes, & in fine earum procedat cum eodem celebrante ad medium Altaris, ubi stet immotus post *Dominus vobiscum*, ad *Ite, Missa est*, ad quod nec se inclinet, neque se vertat ad dexteram, vel ad sinistram. Inclinet se tamen, dum Diaconus dicit *Humiliate capita vestra Deo*, & ad Orationem, quæ sequitur.

Si aliquod peculiare Evangelium sit legendum in fine, dicto *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, facta genuflexione accedat ad cornu Epistolæ, accipiat Missale, quo deferat ad cornu Evangelii genuflectens a sinistris Diaconi, dum celebrans dat benedictionem, ad quam tunc non se signet, quia tenet Missale, & data benedictione,

surgat, & deponat in cornu Evangelii, & celebranti assistat, ut ad primum Evangelium, se signans, aut genuflectens cum eo, nisi teneat librum, quia tunc a genuflexione, & signo Crucis abstineat, & respondeat ei in fine *Deo gratias.*

Cum non dicitur peculiare Evangelium, paulo ante Benedictionem, ascendat. ad secundum gradum Altaris, in quo est Diaconus, ad cujus sinistram stet, æqualiter cum eo distans a medio, & simul cum ipso genuflectat, seque signet ad celebrantis benedictionem; tum accedens ad cornu Evangelii, & stans a sinistris celebrantis, respondeat, & ministret illi, sicut ad primum Evangelium, & ad verba: *Et verbum caro factum est*, genuflectat versus librum, quoque lecto, respondeat, *Deo gratias.*

Finito Evangelio, accedat ad medium Altaris, se sistens a sinistris celebrantis, cum quo faciat profundam, vel mediocrem inclinationem Cruci, deinde descendat una cum eo in planum, vertens faciem versus cornu Epistolæ, ubi facta genuflexione super infimum gradum cum

omni-

omnibus aliis, ſurgat, capiat biretum, tectoque capite, eodem ordine, quo venerat, junctis manibus, & ſalutato choro, ſi fieri poſſit, redeat in Sacriſtiam, ubi facta prius Imagini, tum celebranti reverentia, pariter cum aliis, nudo capite, adjuvet eumdem celebrantem cum Diacono, dum deponit paramenta, quibus depoſitis ſalutet eum iterum, ut decet, ac deinde exuat ſe paramentis ſuis, ab aliquo Acolytho adjutus.

Quando Subdiaconus diebus per Rubricam Miſſalis præſcriptis, utitur planeta eam dimittat, cum lecturus eſt Epiſtolam (antequam accipiat librum Epiſtolarum) quam cantet in Alba, & cantata Epiſtola, & oſculata manu celebrantis, priuſquam deferat librum ad Cornu Evangelii, eam reſumat, nec amplius deponat.

Obſervandæ ne ſunt ſupradictæ cæremoniæ etiam in Miſſa ſolemni pro defunctis?

Subdiaconus in Miſſa ſolemni pro Defunctis, initio ſe gerat, ut in aliis Miſſis. Ad introitum non ſe ſignet, nec poſt Epiſtolam cantatam oſculetur manum celebrantis, quia

oſcula omnia in hac Miſſa omittuntur: ſtatim finita Epiſtola, & facta genuflexione ante medium altaris, tradat librum non Diacono, ſed Acolytho, & Miſſale celebrantis deferat ad cornu Evangelii, ut in aliis Miſſis.

Ad Evangelium incedat cum Diacono a ſiniſtris ejus more ſolito, & loco conſueto ſiſtens, teneat librum, ut in aliis Miſſis; & Evangelio finito, non deferat librum celebranti oſculandum, ſed ſtatim illum a Diacono clauſum, facta genuflexione altari, tradat Miniſtro. Ad Offertorium Calicem coopertum velo parvo tantum cum burſa ex Credentia accipiat, & ad Altare deferat, infundens aquam in Calicem non petat benedictionem, ſed infuſa acqua in calicem, non recipiat patenam, ſed pergat ad ſiniſtram celebrantis, genuflectens in medio, atque aſſiſtat ad incenſationem Oblatorum & Altaris, ut in aliis Miſſis: & celebrante incenſato, miniſtret mappulam ad tergendas manus in ablutione ipſarum. Hac peracta deſcendat in planum; ubi poſt celebrantem ſtet junctis manibus ſine velo, & ſine patena, nec, illo dicente *Orate fra-*

fratres, ipſe reſpondeat *Suſcipiat*, ſed Diaconus.

. Ad *Sanctus* aſcendat ad ſiniſtram Celebrantis, quo dicto, & facta genuflexione revertatur ad locum ſuum. Paulo ante elevationem, quia non tenet Patenam, facta genuflexione in medio accedat ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans imponat thus in thuribulo, miniſtrante Thuriferario cochlear, & thuribulum ſine benedictione, quo facto genuflexus accipiat ab eodem Thuriferario Thuribulum, & tempore elevationis incenſet Sanctiſſimum Sacramentum triplici ductu ad unamquamque elevationem, nimirum ad adorationem, & depoſitionem hoſtiæ, vel Calicis, cum debitis etiam inclinationibus ante, & poſt incenſationem. Poſtea reddat Thuriferario thuribulum, & ad medium altaris rediens, in loco ſuo genuflectet, ubi ſtet, non genuflectens cum celebrante.

Ad *Agnus Dei* non percutiat pectus, nec recipiat aut det pacem, ſed tantum a ſiniſtris celebrantis inclinatus maneat manibus junctis illud dicens. Deinde mutet locum; hoc eſt a ſiniſtra ad dexteram cele-

brantis, genuflectens, quando accedit, & recedit, ibique stet, & inclinet se, dum celebrans dicit: *Domine non sum dignus*, detegatque Calicem, quando opus est. Cætera, ut in aliis Missis, respective peragat.

Si facienda sit absolutio in fine Missæ, adjuvet, si opus sit Celebrantem stantem ad latus Epistolæ, dum exuit se Casula, & manipulo; ac ipse etiam suum manipulum deponat, tradatque Ministro. Tum deferens crucem sine ulla reverentia ad tumulum procedat post Thuriferarium, quem respicere debet imago crucis. At cum pervenerit medius inter ceroferarios ad caput lecticæ, per latus suum dextrum progrediatur ad pedes ejus, idest per latus Evangelii, & ibi stet ad pedes lecticæ vertens faciem ad Altare, & ad Celebrantem, immobilis, distans tamen ab ipsa lectica tribus, aut quatuor passibus, ut Celebrans, & Diaconus postea facilem inter crucem, & lecticam habeant transitum. Dicto a cantoribus *Requiescat in pace*, redeat in Sacristiam eodem ordine, quo venerat, non genuflectens etiam SS. Sacramento, licet ante illud transeat.

In

In exequiis eadem facit, quæ supra, præterquam quod ſiſtat ſe ſemper cum Cruce ad caput Defuncti, & numquam ad pedes cujuſcumque defuncti etiam Sacerdotis, ex Rituali Romano, & ſeipſum, & imaginem Crucifixi convertens ad Celebrantem ſic ſtet uſque ad finem.

Dum inchoatur Antiphona: *In paradiſum deducant*, ſi corpus deferendum ſit ad ſepulchrum, procedat eodem ordine, quo ſupra ad locum ſepulturæ, & ibidem, eodem modo ſe collocet, ſi ſitus loci permittat, & data ſepultura, eodem etiam ordine in Sacriſtiam revertatur. Hæc omnia vero fiant a Subdiacono tantum, quando Miſſa ſolemnis in Exequiis dicitur, quia extra Miſſam non debet miniſtrare in paramentis, ſed Acolythus tunc portet Crucem, & numquam Subdiaconus paratus.

Quomodo ſe gerit Subdiaconus in Proceſſionibus?

In proceſſionibus ordinariis ipſe tantum, qui miniſtret ad Miſſam, paratus ſine Manipulo deferat Crucem, ita ut imago Crucifixi terga vertat eidem Subdiacono, & Clero ſequenti, medius inter duos ce-

roferarios, & ubi angustia loci simul cum ceroferariis incedere non permittit, præcedant Ceroferarii.

Ministrans in processionibus Sanctissimi Sacramenti dum Celebrans immittit incensum in Thuribulum assistat, elevans fimbriam Pluvialis. Cum vero thurificat, genuflexus a sinistris fimbriam anteriorem Pluvialis elevet, cum eo, dum opus est, se inclinans; post thurificationem, velum oblongum ab Acolytho accipiens ejus humeris imponat, adjuvante Cæremoniario, ac aciculis firmet. Statim autem ac ille recepit Sacramentum, surgens a sinistris ejus anteriorem fimbriam Pluvialis elevat. Procedens alternatim cum Celebrante, Psalmos, & Hymnos submissa voce recitet: cum vero reversi fuerint, statim ac ille Sacramentum in manus Diaconi tradiderit, velum recipiens, Acolytho tradat, & dum iterum thurificatur Sacramentum, assistat, ut supra. Dum celebrans recitat Orationem, vel plures, una cum Diacono genuflexus teneat librum apertum, quibus dictis imponat denuo velum oblongum ejus humeris, & cum ab

eo

eo datur benedictio cum Sacramento, genuflexus in supremo gradu Altaris, a latere fimbriam pluvialis anteriorem elevet, vertens faciem ad SS. Sacramentum. Data benedictione a Celebrante, velum oblongum illius amoveat, & det Cæremoniario deferendum super Credentiam. Denique omnibus completis revertatur in Sacristiam.

Qui plura desiderat, videat Gavantum, Bauldres, Corsettum, Buongiovanni, Piscaram, ex quibus hæc pauca prælibavimus fere ad litteram.

De Ritibus in privata Canonicarum Horarum recitatione servandis.

CAPUT IV.

Cum in privata Canonicarum Horarum recitatione aliquando convenienter stetur, aliquando genuflectendum sit, aliquando etiam sedere liceat, rogo in primis quando standum sit?

STatur, ita ut convenienter sedere non liceat, ad Orationem Domini-

minicam, Salutationem Angelicam, quia sunt de textu Evangelico, ac ad symbolum Apostolorum, ut ad fidei confessionem promptiores videamur. Item ad horarum initia, scilicet a principio Orationis Dominicæ inclusive, & ad Completorium, ab iis verbis: *Jube domne benedicere*, donec inchoatus sit primus versus primi Psalmi. Ad Invitatorium, ad hymnos, inter quos *Te Deum laudamus* quoque numeramus, ad quoscumque Versiculos post Hymnos, & ante Nocturnum, ad textum Evangelii ante Homilias, donec hæc verba: *& reliqua*, prolata fuerint, ad Capitula, ad Cantica *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*, per totum. Ad singulas orationes, (excepto triduo majoris hebdomadæ) Ad suffragia, & ad preces, quæ præcedunt Orationes. Item ad Symbolum, *Quicumque vult salvus esse*. Ad Antiphonas Beatæ Mariæ, quæ dicuntur in fine Officii, vel Horarum, tempore Paschali, & in omnibus Dominicis a primis earum Vesperis inclusive usque ad finem Completorii post secundas Vesperas etiam inclusive, & præterea ad Pa-

ter,

ter, Ave, & Credo, toto illo, tempore, & dictis Dominicis. Ad Psalmos, Lectiones, Homilias, Responsoria, &c. laudabiliter quidem standum esset, sed quia plurimi docti, & timorati Sacerdotes, sedent, ideo ad supradicta non incongrue sedetur.

Quando autem genuflectendum, ita ut convenienter stare non deceat?

Genuflectendum est ad ea Invitatorii verba: *Adoremus, & procidamus ante Deum*; ad preces feriales in laudibus, Vesperis, & Horis, diebus, quibus Ecclesia præcepit jejunium, quæ dicuntur flexis genibus, usque ad *Benedicamus Domino* inclusive; ad preces in officio Defunctorum, ad Litanias quascumque, & pro privata recitatione, diebus Rogationum, & Divi Marci. Item in Hymnis ad hos versus: *Veni Creator Spiritus*: *Ave Maris Stella*: *O Crux Ave spes unica*: *Tantum ergo Sacramentum*: *O Salutaris Hostia*: *Te ergo quæsumus*, *&c.* in Hymno *Te Deum*, etiam tempore Paschali (genuflexiones enim tunc temporis non prohibentur, ad ea quæ adorationem requirunt). Item ad Antiphonas

B. Vir-

B. Virginis, quæ dicuntur in fine officii, vel Laudum, vel Horarum, & ad Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum, quæ dicuntur in fine Completorii, exceptis Dominicis, & tempore Paschali, ut supra dictum est, genuflectendum erit.

Quando caput inclinandum, sed non genuflectendum?

Caput inclinandum est, quoties nominatur Sanctissimum Nomen *Jesu*, *Mariæ*, & Sancti, de quo fit officium; ad nomen *Jesu* profundius; item ad versum *Gloria Patri*, &c. & quoties *SS. Trinitatis* expresse fit mentio, præsertim per enumerationem Personarum divinarum, tam in fine Hymnorum, & Orationum, quam in Antiphonis, quæ in festo *SS. Trinitatis* dicuntur, & etiam aliis diebus, detecto capite fit inclinatio. Item ad hos versus, *Sit nomen Domini Benedictum. Sanctum, & terribile Nomen ejus. Benedictus Dominus die quotidie. Sit nomen ejus benedictum in sæcula. Benedictum nomen Majestatis ejus. Benedicat nos Deus Deus noster. Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum. Benedicamus*

Patrem, *& Filium*, *& Benedictus es Domine in firmamento cœli*. Item cum dicitur *Confiteor Deo* usque ad *Misereatur* inclusive, & ab eo, qui dicit, & cui dicitur, ut in Missa. Caput regulariter denudandum est, quoties statur, aut genuflectitur, aut inclinatur, licet sedeatur.

In recitatione officii Divini quando signum Crucis adhiberi debet?

Solo pollice dextro, reliqua manu extensa mediocriter, sinistra vero infra pectus posita signatur os, in principio Matutini ad hæc verba, *Domine labia mea aperies*, & eodem pollice initio Completorii formando signum Crucis in pectore, ad *Converte nos Deus salutaris noster*. Manu vero eadem erecta, & extensa, ejus digitis simul etiam cum pollice junctis, fit signum Crucis a fronte ad pectus, & a sinistro humero usque ad dexterum, cum dicitur *Deus in adjutorium*, initio omnium horarum, non autem quando repetuntur in Psalmis, aut Precibus ferialibus, hæc verba, nec quando ad primam dicuntur ter post Orationem S. Mariæ, quæ sequitur post Martyrologium. Item ad versum: *Adjuto-*

jutorium nostrum in nomine Domini, ante Confessionem ad Primam, & Completorium, non vero ad Psalmos. Similiter ad Confessionem dum dicitur *Indulgentiam*, &c. & ad ea verba in fine Primæ: *Dominus nos Benedicat*; & in fine Completorii: *Benedicat*, & *custodiat nos*, &c. Laudabiliter etiam fit signum Crucis ad Antiphonam de Cruce, in feriali officio, scilicet *Per signum Crucis*. Item demum signum Crucis fit initio Canticorum *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*.

In privata Horarum recitatione qui non servat Breviarii Rubricas de stando, aut genuflectendo, de se inclinando, aut crucesignando, cujus culpæ redditur reus?

Nulli, neque veniali culpæ censendus est obnoxius, si contemptus, vel scandalum absit. Quia Breviarii Rubricæ non obligant nisi eos, qui in Choro recitant. Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 2. Comitol. *lib.* 4. *qu.* 64. Bonac. *de Horis Canon. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 6.

Optimum tamen est juxta Christi consilium in cubiculo, vel Oratorio

torio orare, eumque modum proportionaliter ſervare, quem ſervat Eccleſia in Choro juxta Rubricas, modo ſtando, modo genufleƈtendo, &c. Sicuti monent præter citat. Doƈtores Tol. *lib.* 2. *c.* 13. Nav. *de Orat. cap.* 4. & 5. Fill. *tr.* 23. *c.* 8. *n.* 265.

In officio canonico perſolvendo, quot leƈtiones recitantur?

In feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis cum ſuis oƈtavis, in duplicibus, & ſemiduplicibus: item in Dominicis ſemper leguntur novem leƈtiones; excepta Dominica Reſurreƈtionis, & Pentecoſtes cum ſuis oƈtavis, in quibus leguntur tantum tres leƈtiones de Homilia.

Infra oƈtavas Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes de ſimplicibus fit tantum commemoratio, omiſſis leƈtionibus. Idemque dicendum intra oƈtavam Corporis Domini ex decreto Sacræ Congregationis, quod bene notat Kalendarium Eccleſiaſticum Venetiarum, licet alia Kalendaria id non moneant, & aliqui revocent in dubium.

In feſtis vero ſimplicibus, & fe-

riis

riis per annum tres recitantur lectiones.

Unde sumuntur hujusmodi lectiones?

In officio novem lectionum tres primæ sumuntur de Scriptura eo die occurrente in proprio de tempore, nisi aliæ in proprio Festorum, vel in Kalendario notentur. In secundo Nocturno sumuntur de proprio, si positæ sint in Breviario, si secus, de communi Festorum. In tertio Nocturno leguntur tres lectiones de Homilia, vel de proprio, si assignentur, vel de communi, juxta præscriptum Kalendarii.

In officio autem trium lectionum, in Festis simplicibus, prima, vel etiam secunda lectio sumitur de scriptura eo die occurrente, tertia, vel de proprio, si extet, vel de communi.

In Officio autem de feria leguntur tres lectiones in Breviario, vel Kalendario assignatæ. De hoc consule Rubricas Breviarii, earumque commentaria a Bartholomæo Gavanto in lucem edita.

In Officio de feria quæ oratio dicitur?

Quando fit officium de feria, semper dicitur Oratio Dominicæ præceden-

cedentis, cum propria non assignatur.

Hic obiter Sacerdotes, aliosque Divini officii recitandi obligatione adstrictos, monendos censui, ex indulto Leonis X. defectus omnes, & culpas ex humana fragilitate contractas in eo persolvendo, sibi remitti, si post unamquamque recitationem Divini Officii, devote dicant hanc Orationem.

Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati, Crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, Beatissimæ, & Gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ fecundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣ *Beata Viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.*

℟ *Et Beata Ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. Pater noster, &c. Ave Maria, &c.*

Ad hoc autem, ut quis fruatur tali gratia, videtur requiri, ut dictæ Orationis recitatio Divini officii recitationi moraliter conjungatur, ut

scili.

ſcilicet dicatur, antequam recitans ſe adducat ad alias actiones.

Circa cujus orationis recitationem notant Doctores, nominatim Bordon. *tom.* 1. *reſol.* 29. *n.* 27. per eam remitti tantum defectus veniales in recitatione Divini Officii commiſſos, non vero culpas mortales, ad quarum remiſſionem non ſufficit voluntas Papæ, ſed per ſe requiritur Sacramentum Pœnitentiæ vel in re, vel in voto (hoc eſt ſaltem contritionis actus cum voto Sacramenti) ut docent omnes Theologi.

Præterea opus eſt, ut is, cui facienda eſt remiſſio, non exiſtat in mortali, cum non poſſint remitti venialia, manentibus mortalibus.

His addendum eſt, præfatam orationem remittere defectus veniales, quatenus eſt quoddam Sacramentale. Sacramentalia autem non delent venialia ex opere operato, cum non ſint a Chriſto inſtituta, ſed ex opere operantis, excitando ſcilicet recitantem ad actum contritionis, ſeu dilectionis Dei, quo mediante, delentur culpæ veniales, ut tenet communior Doctorum ſententia apud Bonac. *de Sacram. diſp.* 5. *q.* 6. *p.* 3.

6. *p.* 3. *n.* 6. Unde hæc Oratio remittit defectus veniales in recitatione Horarum commissos per modum cujusdam Sacramentalis, non autem indulgentiæ, quæ numquam remittit culpam, sed solum culpæ jam remissæ pœnam. De disciplina servanda in Choro, vide Bauldry.

De Ritibus, qui a Diacono, in exercendo proprio munere debent servari.

CAPUT V.

Recense cæremonias, quas in Missa solemni servare debet Diaconus?

AUdito signo Campanarum pro Missa solemni accedat ad Ecclesiam Diaconus, ubi præmissa brevi Oratione, Sacristiam ingressus, accipiat Missale celebrantis, perquirat Missam, & signacula suis locis disponat: similiter in alio Missali, vel

Evangeliorum libro perquirat suum Evangelium, illudque legat, ne forte postea erret illud cantando, & signaculo ad id notato tradat hos libros Acolytho deferendos ad Altare, seu credentiam. Deinde lotis, ac tersis manibus induat se, aliquando Acolytho adjuvante, paramentis Ordinis sui positis a latere dextero paramentorum Celebrantis. Amictum ergo accipiat per latera ambabus manibus, cujus Crucem osculetur, non se signans cum eo; mox albam, cingulum, stolam, cujus Crucem etiam osculetur, eamque super humerum sinistrum imponat, & sub suo brachio dextro ligari faciat; demum Dalmaticam, vel planetam plicatam. Potest ad singula paramenta Orationes in Missali positas recitare, sed tamen non est necesse: Manipulum hic non capiat, sed postquam celebrans fuerit omnino indutus. Sic paratus, una cum Subdiacono, adjuvet celebrantem, dum sacras accipit vestes, quo induto omnibus sacris vestibus, & ipse manipulum suum capiat cum osculo crucis ipsius. Mox, nisi adsit Presbyter assistens, Navi-

culam,

calam, & Cochlear cum debitis osculis, & reverentiis, pro thuris impositione ministret celebranti, dicens: *Benedicite, Pater Reverende*. Imposito, ac benedicto incenso faciat celebranti reverentiam, postea cum illo profunde se inclinet Imagini principali, quæ est in Sacristia: atque statim tecto capite procedat ad Altare, post Subdiaconum ante Celebrantem, junctis manibus, devote, incessu gravi, oculis demissis, & erecto corpore. In minus solemni Missa portet librum elevatum ante pectus ambabus manibus.

At vero, si ob aspersionem aquæ benedictæ, candelarum benedictionem, & alia hujusmodi ipse celebrans pluviali, vel etiam tantum Alba cum stola indutus sit, a dextris illius incedat, fimbrias pluvialis ejus attollens, quod faciat etiam Subdiaconus a sinistris.

Si, dum procedit, transire contingat ante Tabernaculum SS. Sacramenti, a dextris Celebrantis, nudo capite, flectat unicum genu; sed si sit expositum, utrumque. Idem de Subdiacono dicendum est.

Cum pervenerit ante infimum gra-

dum altaris, caput detegat, & de manu Celebrantis biretum accipiat cum quasi osculo ipsius bireti, illudque statim eum suo tradat Cæremoniario, vel alicui Acolythorum, qui illud, ubi sunt sessuri, deponat, & cum eodem Celebrante a dextris ejus super infimum gradum, vel in plano, formando quasi lineam rectam, genuflectant unico genu etiam absente Sanctissimo Sacramento, & etiam licet celebrans non genuflectat, quia Diaconus debet semper genuflectere Cruci in tota Missa.

Mox ascendat ad Altare, depositoque, & aperto in cornu Epistolæ libro, descendat ad dexteram celebrantis. In Missa vero solemni, de qua hic agitur, sistat se a dextris ejusdem celebrantis.

Cum celebrans se signat initio, etiam se signat cum eo, & ei respondeat ad Psalmum *Judica me Deus*: dum celebrans dicit *Adjutorium* se signet, cum facit confessionem, stet, qua finita, se ad celebrantem inclinatus profunde convertat, dicens *Misereatur tui*, usque ad finem. Dicto a celebrante *Amen*, profunde se in-

inclinet ad *Confiteor*, & percutiat pectus ter ad *mea culpa*, manu sinistra infra pectus posita, dicens vero *Tibi pater*, & *te pater*, se convertat ad Celebrantem, eique se profunde inclinet. Ad *Indulgentiam* stans se signet: dum celebrans dicit *Deus tu conversus*, se inclinet profundius, quam celebrans: dum dicit *Oremus* non deducat manus, quia solius est celebrantis.

Confessione facta, & dicto *Oremus*, ascendat ad Altare cum Celebrante. Albam, & vestes illius anteriores sinistra manu paululum elevans, dextera pectori admota, quod in simili casu semper faciat. Dum Celebrans osculatur Altare, ipse genuflectat manibus junctis, advertens, ut neque tangat, neque osculetur Altare, quod semper observet, & statim surgens sistat se ad celebrantis dexteram, acceptaque de manu Thuriferarii Navicula incensi, tenens eam semiapertam versus celebrantem parum inclinatus, dicat *Benedicite Pater Reverende*, deinde cochlear vacuum sumens per inferiorem manubrii partem de navicula, illud porrigat ei cum

osculis partis superioris ipsius cochlearis, & manus Celebrantis, in parte exteriori ipsius: imposito vero, benedictoque incenso recipiat cochlear, primo manum illius osculando, deinde ipsum cochleare, quod reponit statim in naviculam, quam clausam dextera reddat Thuriferario, a quo eadem dextera recipiat thuribulum per summitatem catenularum, & sinistra per partem inferiorem prope vas ipsius. Tum eamdem summitatem catenularum, quam osculetur prius, ponat in sinistra celebrantis, & extremitatem prope vas ponat in dextera ipsius, quam etiam osculetur in parte exteriori, ita tamen, ut ipsa sinistra Diaconi sit subtus dexteram Celebrantis, qua thuribulum accipit.

Cum Celebrans incensat, assistat ei Diaconus ad dexteram aliquantulum retro stans, elevando eam planetæ partem posteriorem, quæ est circa ejus brachia, ne impediatur, alteram vero manum pectori admoveat, & cum transit ante Crucem, licet Celebrans tantum se incliner, semper genuflectat. Si forte Calix sit super Altare, Diaconus illum

illum amoveat, ut infra ad oblata, & facta incensatione Crucis, illum reponat.

Finita Altaris incensatione, Diaconus stans a latere Epistolæ in secundo gradu, vel alio, prout fert situs loci, accipiat thuribulum a celebrante, osculando manum ejus dexteram, deinde catenularum summitatem, quam teneat Diaconus sinistra, & dextera prope vas thuribuli; tum retrocedens tantillum extra altare in planum ipsius partis Epistolæ, triplici ductu ipsum Celebrantem incenset, profunda capitis inclinatione, ante, & post incensationem, postea sinistra manu reddat thuribulum Thuriferario.

Deinde locat se in secundo gradu, vel infimo a latere Epistolæ secundum situm altaris, ad dexteram celebrantis, ubi stans junctis manibus ante pectus assistat eidem celebranti legenti Introitum, cum ipso se signans, & ad *Gloria Patri* mediocriter inclinans versus Crucem, nihil tamen dicens usque ad Kyrie, quod alternatim in eodem loco, submissa voce, recitet cum ipso, tenens junctas manus, prout celebrans.

Dicto Kyrie, ibidem maneat cum aliis, donec cantetur ultimum Kyrie in Choro, in cujus fine, celebrantem prodeuntem ad medium Altaris comitetur æquali passu cum eo progrediens per secundum gradum, & in eodem secundo gradu, post eum se sistat in medio, donec inchoetur *Gloria in excelsis*; quo inchoato, mox ut celebrans dicit *Deo*, statim facta genuflexione in medio, aliquantulum secedat ad cornu Epistolæ, ibique paululum expectet Subdiaconum, & tunc ambo simul ascendant ad Altare hinc inde ad latera Celebrantis, ibique stans sine alia nova genuflexione una cum celebrante, & Subdiacono, submissa voce Hymnum prosequatur manibus junctis, advertens ne præveniat in ipsa recitatione, sed potius subsequatur vocem ipsius celebrantis, totiesque caput inclinet, quoties Celebrans, & simul cum eo se signet dicens *Cum Sancto Spiritu*, & in fine dicens *Amen*, jungat manus.

Hymno dicto si sedendum sit, facta genuflexione Altari manibus junctis (quod semper faciat in simili casu) pergat per breviorem viam sequens Sub-

Subdiaconum, ac præcedens Celebrantem, ad sedem paratam in plano, ibique accipiat biretum Celebrantis, quod ei porrigat cum quasi osculo illius, & elevet partem posteriorem planetæ, ne super eam sedeat; tum accepto suo bireto, elevataque etiam parte posteriori dalmaticæ suæ, & facta profunda inclinatione Celebranti jam sedenti, & parva Subdiacono stanti adhuc, sedeat, a dextris ipsius Celebrantis tecto capite, & manibus hinc inde super genua extensis, & digitis simul junctis, prout Celebrans. Ibi autem caput nudet, & inclinet ad Cæremoniarii nutum, vel toties aperiat cum inclinatione, quoties aperit, & inclinat Celebrans, & Chorus. Hoc ipsum observandum est etiam in Symbolo.

Dum cantatur in Choro *Cum Sancto Spiritu*, Diaconus accipiat biretum Celebrantis dextera cum quasi osculo ipsius, illudque super scamno ponat, & similiter suum, factaque Celebranti reverentia, & sequens Subdiaconum redeat per planum ad Altare. At dum Diaconus est prope cornu infimum gradus Altaris, retrocedat paululum, ut Celebranti, cui se incli-

net, locum præbeat transeunti, a cujus dexteris ibidem genuflectat in infimo gradu, ac illius vestes modice attollat, ut initio Missæ, ascendesque ad secundum gradum Altaris cum illo, sistat se ibi., & post eum stet, formando lineam rectam, cum ab eo dicitur *Dominus Vobiscum*, quo dicto mox eumdem celebrantem euntem ad cornu Epistolæ, comitetur manibus junctis, incedens æquali passu, & ibidem stet post eum; & deficiente Cæremoniario vertat folia, si opus sit, non genuflectens in accessu, & recessu, sistendo se ad dexteram Celebrantis. Si dicendum sit *Flectamus genua*, prior omnibus illud cantando, genuflectat ambobus genibus super oram suppedanei, tum respondente Subdiacono *Levate* surgat.

Hymno Angelico dicto apud Altare, si non sedeat Celebrans, Diaconus ibidem remaneat ad Celebrantis latus paululum retro; & cum cantatur in choro: *Cum Sancto Spiritu*, facta genuflexione, se recipiat post ipsum Celebrantem in secundo gradu, cum ab eo dicitur *Dominus vobiscum*, Reliqua ut supra.

Cum

Cum Subdiaconus incipit Epistolam, statim, & non prius Diaconus accedat ad dexteram Celebrantis, ipsique ministrat non junctis manibus, sed si opus sit, tenens librum, & vertens folia, se inclinans cum celebrante, & genuflectens, si opus sit, & in fine respondeat submissa voce *Deo gratias*, ibique remaneat usque dum Subdiacono accedenti locum cedat, se retrocedens post Celebrantem, ut ab eo benedicatur ipse Subdiaconus.

Cum Celebrans dicit in medio Altaris *munda cor meum*, Diaconus adhuc stans in suo loco de manu Acolythi, vel Cæremoniarii, aut de Credentia, iis deficientibus, accipiat librum Evangeliorum clausum, tenens ambabus manibus per angulos inferiores erectum ante pectus, ea parte, qua liber aperitur, ad sinistram suam conversa. Tum solus per planum Presbyterii illum deferat ad medium Altaris, facta prius super infimum gradum genuflexione, & Choro prius inclinatione ab utraque parte, si ante illum transeat, & ad Altare ascendens, ipsum librum quasi jacentem collocet super illud prorsus in

medio, ideſt ubi Calix collocatur ita, ut pars eadem, qua liber aperitur, reſpiciat latus Evangelii. Si vero adeſt Calix in medio, collocet illum juxta Corporale a parte Epiſtolæ modo dicto. Deinde, facta ibidem genuflexione, accedat ad ſiniſtram Celebrantis, & ad dexteram Subdiaconi, eique aſſiſtat, manibus junctis, quaſi medius inter illum, & Subdiaconum, dum legit Evangelium, genuflectens cum eo, & ſe inclinans, quando opus eſt.

Finito Evangelio, miniſtrat incenſum, ut initio Miſſæ, redditaque navicula Thuriferario, deſcendat ad ſecundum gradum Altaris, ubi genuflexus ante medium Altaris in ora ſuppedanei, manibus junctis dicat inclinatus *Munda cor meum &c.* quo dicto aſcendat ad Altare, & accipiat utraque manu librum de Altari, & iterum deſcendat ad ſecundum gradum, ubi genuflexus, & converſus ad Celebrantem, petat benedictionem dicens intelligibili voce: *Jube Domne benedicere*: non *Domine*; qua recepta inclinans tantiſper partem ſuperiorem libri ad Celebrantem, oſculetur reverenter in parte exteriori illius dex-

dexteram manum libro superpositam: tum surgat, iterum Celebranti se inclinet, & portans ambabus manibus librum clausum ante pectus, ut supra, & conversus se per eam partem, quæ respicit cornu Epistolæ, descendat in planum, ubi facta genuflexione super infimum gradum cum Subdiacono, procedat cum eodem a sinistris ad locum Evangelii versus Aquilonem secundum communiorem consuetudinem majorum Ecclesiarum Romæ, ita interpretantium illud *contra Altare*, ut nec terga vertat Altari, nec Populo, ad quem locum perventus Diaconus tradat Subdiacono librum, in cujus manibus illum aperiat, & accommodet, ut legere apte possit. Finito cantu in Choro stans junctis manibus ante pectus, sonora voce dicat *Dominus vobiscum*: Cum dicit *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii*, sinistra super librum posita, atque operta, & digitis simul junctis, signet illum in principio Evangelii pollice dexteræ, manum reliquam interim teneat extensam, digitis simul junctis, deinde vola manus ad seipsum conversa, eodem pollice signet sibi ipsi frontem, os, & pectus,

ſiniſtra pectori admota: advertens, ut ſignet tam librum, quam ſe, non ungue pollicis, ſed pulpa. Dicens, *Initium*, vel *Sequentia*, ſignet librum: Dicens *Sancti Evangelii*, ſignet frontem; tum quaſi reſpirando pauſans aliquantiſper, (ita tamen, ut aſtantes id minime advertant) ſignet os. Deinde reliquum titulum proſequendo, ſignet pectus. Accepto Thuribulo de manu Thuriferarii ſtantis poſt eum a dexteris ejus ter librum incenſet, primum in medio, tum a dextris, denique a ſiniſtris ipſius libri, inclinans ſe ante, & poſt incenſationem ob reverentiam Sacri Textus, redditoque Thuriferario thuribulo, incipiat, atque proſequatur Evangelium junctis manibus, inclinans ſe, & genuflectens, ubi opus ſit, verſus librum, profundius tamen ad nomen *Jeſu* ſe inclinet, quam ad alia.

Finito Evangelio digito indicet Subdiacono principium Evangelii cantati, quod oſculari debet Celebrans, & ſi illud principium ſit in pagina præcedente, volvat folium, & ſtatim per planum Presbyterii, ſequens Ceroferarios, manibus junctis, accedat omnino ad medium Altaris,

ubi

ubi facta genuflexione cum illis, ſtat habens poſt ſe Thuriferarium, a quo recipiat Thuribulum a dextris, ac ſtatim, ut Celebrans oſculatus fuerit librum ſe retrahens paululum ad latus Evangelii, thurificat eumdem Celebrantem triplici ductu cum debitis inclinationibus ante, & poſt; redditoque thuribulo Miniſtro aſcendat ad ſecundum Altaris gradum, ibique ſtet poſt Celebrantem, donec intonet *Credo*, & ad verbum *Deum*, inclinet caput, & ſtatim genuflectat, & accedat ad dexteram Celebrantis, ubi cum eo, & Subdiacono, ſubmiſſa voce proſequatur Symbolum eodem modo quo Hymnum Angelicum, ſe inclinans, & genuflectens, quando opus ſit; ac in fine ad verba: *Et vitam venturi ſæculi*, ſe ſignet: & dicens *Amen* jungat manus.

Poſt finem ſymboli, adhuc ibidem ſtat, vel ſedeat, ut ad Hymnum Angelicum; at ſi ſtet ad Altare quando in Choro cantatur *Deſcendit de Cœlis &c.* ſimul cum Celebrante vertens faciem ad cornu Evangelii deſcendat ad ſecundum gradum Altaris, ubi genuflectat a dextris ipſius

Ce-

Celebrantis, & a parte sua partem posteriorem Planetæ illius super pedes decenter aptet; at si sedeat, profunde se inclinet nudo capite ad versum prædictum, usque ad: & *Homo factus est* inclusive, exceptis tribus Missis *Nativitatis Domini*, & *Annuntiationis B. Mariæ Virginis*, in quibus semper genuflectat, capite aliquantulum inclinato; quod facit ante sedem suam versus Altare.

Cantato versu: *Et Incarnatus est*, &c. si Diaconus stet ad Altare, genuflectat, & via breviori accedat ad Credentiam; si vero sedeat, surgat, & factâ Celebranti inclinatione debita, pergat similiter nudo capite via breviori ad Credentiam, ubi de manu Ministri accipiat bursam Corporalium, & eam quasi jacentem ambabus manibus elevatam portet, tenens eam per latera ipsius, pollicibus, & indicibus desuper, sed reliquis digitis subtus eam positis, & ita, ut pars, quæ aperitur, faciem ejus respiciat, sicque per planum sine comite, gravi, & decoro incessu, inclinans se Celebranti, & etiam Choro ab utraque parte, si ante eum transeat, procedat ad medium Altaris, & facta genu-

flexio-

flexione super infimum gradum, ascendat ad Altare (ad dexteram Celebrantis, si ibi adsit, ubi faciat primo Cruci reverentiam, deinde capitis inclinationem Celebranti, quas inclinationes omittat, quando Celebrans non stat ad Altare), & ibi extrahat Corporale de bursa, quam statim collocat erectam in cornu Evangelii sic, ut non impediat Altare, neque e cereis effluente cera, maculari possit; & corporale extendat in medio, ita, ut ora Corporalis Altaris ora tangat. Postea ibidem genuflectat, ut recedat paululum versus cornu Epistolæ, ubi stet a latere Celebrantis, & dum Chorus cantat ultimum versum Symboli, facta genuflexione, descendat ad secundum gradum post Celebrantem. Si vero Celebrans sedeat, facta genuflexione super suppedaneum post explicatum Corporale, redeat per viam breviorem ad Celebrantem, cui profunde se inclinet, & mediocriter Subdiacono stanti, deinde operto capite sedeat, ut initio: & circa finem Symboli Celebrantem ad Altare redeuntem præcedat, ut dictum est ad finem Hymni Angelici.

lici. Si vero Calix sit in Altari a principio Missæ, & Celebrans sedeat post versum: *Et Incarnatus &c.* cum debitis reverentiis, & genuflexionibus extrahat Corporale de bursa, & illud extendat super Altare, ut supra. Quando vero non dicitur Symbolum, Subdiaconus deferat bursam Corporalium ad Altare simul cum Calice, ut infra.

Celebrante dicente *Dominus vobiscum* Diaconus in secundo gradu stet post eum, & dicto *Oremus* ante Offertorium, genuflectat, & ascendat ad Altare a sinistris Celebrantis, eique, dum legit offertorium, assistat, quo lecto, genuflectat, & transeat ad dexteram ejus in cornu Epistolæ, ibique stans expectet Subdiaconum, & eo accedente cum Calice illum accipiat de manu ipsius Subdiaconi, & ipse Diaconus eumdem Calicem detegat, amovens partem longiorem Veli desuper, & palla reposita juxta Corporale, accipiat Patenam cum Hostia, & extremis utriusque manus digitis eam tenens decenter, & commode offerat Celebranti, cum osculo prius patenæ, tum manus dexteræ ejusdem.

Si

Si vero Subdiaconus afferat bursam cum Calice, accipiat eam Diaconus, & in medio Altaris colloçet Corporale, & bursam ponat ad Cornu Evangelii, & patenam offerat Celebranti ut supra. Si autem Calix sit à principio Missæ super altare, illum de medio accipiat, & collocet super cornu Epistolæ, & amoveat velum, quod tradat Subdiacono, ut eum tradat Acolytho, cætera peragens, ut supra.

Dum Celebrans Hostiam offert, Diaconus accipiens sinistra Calicem a Subdiacono prius extersum per nodum, & manu dextera ampullam vini de manu ipsius, infundat vinum in prædictum Calicem, aliquantulum ad Celebrantem conversus, ut inspiciat quantum vini sufficiat. Tum; post admixtas vino per Subdiaconum paucas guttas aquæ, prius a Celebrante benedictæ, ipse Diaconus, si guttæ appareant dispersæ intra Calicem, eas vel circumacto vino, vel Purificatorio abstergat. Tum porrigat ad manus Celebranti Calicem cum osculis pedis illius Calicis, & manus Celebranti dextera pedem, sinistra nodum ipsius tenens, vel alio commodiori modo, ita

ut

ut Celebrans facilius illum dextera per nodum, sinistra per pedem accipere valeat, & tenere: Cumque Celebrans dicit *Offerimus tibi Domine*, ipse etiam cum eo dicat eadem, dextra pedem Calicis, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans. Oratione dicta, & reposito Calice a solo Celebrante, Diaconus palla cooperiat, deinde in dextera manu nuda Subdiaconi stantis adhuc ibidem in cornu Epistolæ, inter indicem, & pollicem ponat patenam de Altari sublatam, ita ut pars interior patenæ respiciat Subdiaconi pectus, & manum simul cum patena operta extremitate veli ab ea parte pendentis.

Dicto per Celebrantem, *Veni sanctificator*, *&c.* Diaconus stans adhuc in cornu Epistolæ; naviculam ministret Celebranti, & porrigat thuribulum, ut initio Missæ, & dum Celebrans incensat oblata, ipse pedem Calicis dextra manu teneat, ne cadat, & posteriorem planetæ partem circa humeros aliquantulum elevet sinistra, & cum incensatur Crux, facta prius genuflexione, amoveat Calicem de medio ad partem Epistolæ, non tamen extra corporale,

si

si capax sit; qua incensata, illum reponat in loco suo, facta postea genuflexione: deinde post incensationem Altaris, recepto thuribulo a Celebrante in cornu Epistolæ, ipsum Celebrantem ter incenset, ut initio Missæ. Deinde reddito thuribulo Thuriferario, & facta genuflexione Altari, præcedente Thuriferario, procedet ad incensandum Chorum manibus junctis, & suo ordine Canonicos duplici ductu, Sacerdotes unico, thurificet inclinans caput omnibus ante, & post; postea vero ante Altare incenset Subdiaconum, & ipse incensetur a Thuriferario stans in secundo gradu Altaris; facta prius in eodem gradu genuflexione, ibique stat usque ad finem Præfationis, vertat tamen folia Missalis, si opus sit, genuflectens antequam accedat, & iterum antequam recedat.

Cum dicitur Præfatio, Diaconus stet retro post celebrantem, & dum dicitur *Deo nostro*, caput inclinet, & paulo antequam dicatur *Sanctus*, genuflectens in medio accedat ad Altare, ubi ad dexteram Celebrantis dicat inclinatus cum eo *Sanctus* manibus

nibus junctis, & quæ sequuntur; & ad *Benedictus* se erigens signet se, tum jungat manus; quo dicto, facta ibidem genuflexione, accedat ad sinistram Celebrantis, ubi iterum genuflectat, non in medio Altaris; ibique erectus assistat Celebranti dicenti Canonem, non junctis manibus, sed librum Missalem tenens aliquantulum, elevatum manu sinistra & dextera vertens folia, cum opus fuerit, & digito indice indicans, quæ sint a Celebrante dicenda, ubi necesse viderit.

Cum Celebrans dicit: *Quam oblationem &c.* genuflectat ibidem ante librum, & accedat ad dexteram ejusdem Celebrantis, ubi genuflexus in superiori Altaris gradu maneat, aliquantulum tamen retro post eum, & Celebrante elevante SS. Sacramentum, posteriorem planetæ illius partem; per infimam partem in medio capiat sinistra, modice elevans dextera pectori admota; eoque super Altari deposito, demittat planetam sine osculo, deinde cum Celebrante post adoratam Hostiam surgat, discooperiat Calicem, & statim iterum genuflexus in eodem loco,

co, dum Celebrans elevat Calicem, posteriorem ejusdem planetæ partem elevet, atque statim deponat, dum Celebrans Calicem deponit, surgensque sine mora illum cooperiat, ac simul cum eodem Celebrante genuflectat, deinde ad librum redeat, ubi iterum genuflectat, & assistat Celebranti vertens folia, quando opus est, & sustinens librum, nec inclinet se cum Celebrante ad verba; *supplices te rogamus*, *&c.* bene vero ad verba: *omni Benedictione*, se signet, &. pectus percutiat, ad *Nobis quoque peccatoribus*.

Cum autem Celebrans dicit: *Per quem hæc omnia*, genuflectat prope librum, & ad dexteram Celebrantis ita opportune accedat, ut unicam genuflexionem faciat in accessu, scilicet postquam Celebrans signaverit Calicem, & Hostiam simul ad verba *Sanctificas*, *&c.* tum eumdem Calicem detegat, genuflectat cum Celebrante, & surgat adjuvans eum in omnibus genuflexionibus, ipsum dextera manu elevando: dum vero Celebrans signat Calicem cum Hostia, dicens: *Per ipsum, & cum ipso*, duobus digitis dexteræ manus, indice mi-

mi-

mirum, & medio, firment pedem Calicis, usque ad verba: *Omnis honor, & gloria* exclusive; reposita per Celebrantem Hostia super Corporale, iterum tegat Calicem, genuflectat cum Celebrante, cum eodem se erigat, & ibi stans assistat Celebranti, vel si opus sit vertere folia, ad librum accedat cum debitis genuflexionibus. Statim, ut Celebrans incipit *Pater noster*, Diaconus genuflectat, & vadat post eum ad secundum gradum, ubi stet manibus junctis; & dum Celebrans dicit: *Et dimitte nobis debita nostra*, genuflectat in loco suo, & ascendat ad dexteram Celebrantis, ubi stans, & paululum se convertens removeat partem veli, quæ est super patenam, & eam sibi porrectam a Subdiacono capiat, ipsamque per se extersam purificatorio, postquam dixerit *Amen*, osculata ora illius, ponat inter indicem, & medium digitos manus dexteræ ipsius Celebrantis, & mox ipsam dexteram osculetur.

Quando Celebrans se signat patena, Diaconus etiam se signet. Cum Celebrans submittit patenam hostiæ, Diaconus detegat Calicem, genuflectat,

ctat, surgat, & immissa per eumdem Celebrantem particula in Calicem, iterum eum cooperiat; & cum Celebrante genuflectat, & surgat. Postea inclinatus versus SS. Sacramentum, dicat cum eodem ter *Agnus Dei*, etiam ad verba *Miserere nobis*, & *dona nobis pacem*, pectus percutiens sibi dextera, sinistra infra pectus admota. Mox genuflexus ibidem a dexteris Celebrantis, expectet pacem manibus junctis, & circa finem primæ Orationis: *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, &c. surgat, & cum celebrans osculatur Altare ipse simul osculetur illud extra Corporale, manibus junctis ante pectus, & non super Altare positis, deinde conversus ad Celebrantem, sinistra gena prope sinistram genam Celebrantis admota, sine tamen ullo contactu, ambas manus scapulis illius supponens, ita tamen, ut extremitatibus tantum digitorum eum attingat, & eidem dicenti: *Pax tecum* respondeat, *Et cum Spiritu tuo*, eique caput inclinet ante, & post. Accepta pace a Celebrante, Diaconus, facta iterum genuflexione Sacramento, vertat se ad Subdiaconum per latus suum si-

ni-

niſtrum, ne terga vertat Sacramento, & ſimiliter det ei pacem per mutuum amplexum, dicens, *Pax tecum*, ac eidem data pace, & non prius, mediocriter ſe inclinet, in amplexu autem extremitatibus tantum digitorum utriuſq; manus tangat brachia Subdiaconi circa humeros, non vero ſupponat ſcapulis illius. Et ſi deferendum ſit pacis inſtrumentum ad laicos, illud ipſe oſculetur, & tradat miniſtro comitanti Subdiaconum, ſtatim ac illud oſculatus fuerit.

Poſt datam Subdiacono pacem, Diaconus ibidem ſtatim accedat ad librum, ubi genuflectat, & aſſiſtat Celebranti; & dum ipſe dicit: *Domine non ſum dignus*, manibus junctis inclinet ſe, illud dicens ter ſubmiſſa voce cum Celebrante, & ter percutiens pectus: dum ſe communicat de utraque ſpecie (non autem tempore intermedio) profunde ſe etiam inclinet Diaconus, & devote, & verſus Altare non omnino verſus SS. Sacramentum.

At ſi Subdiaconus non redierit e Choro, ſumpta a Celebrante Hoſtia, genuflectat in loco & accedens ad ejus dexteram iterum genuflectat, & de-

& detegat Calicem dum opus est: quo detecto, genuflectat, surgat, & inclinet se profunde, ut supra, dum Celebrans sumit pretiosum sanguinem, quo sumpto infundat vinum pro purificatione in Calicem, & iterum vinum dextera, & aquam eadem etiam dextera, reposita ampulla vini super bacile, aut altare, pro ablutione manuum Celebrantis in cornu Epistolæ cum solitis inclinationibus, & quasi osculis ampullarum.

Hæc quidem ad Subdiaconum pertinent, non ad Diaconum, modo ipse Subdiaconus redierit de Choro. Si dum hæc fiunt, Subdiaconus redeat de Choro, Diaconus statim genuflectat, & redeat ad librum.

Facta digitorum ablutione, Diaconus deferat ambabus manibus Missale clausum ad cornu Epistolæ, incedens per secundum gradum, & genuflectens in medio, & delatum librum aperiat super pulvinum, ubi est antiphona, quæ dicitur *Communio*, quam indicet Celebranti, ibique maneat a dextris, dum Celebrans eam legit, qua lecta, accedat post illum ad medium Altaris, ubi stet ver-

fus ipſum, dum verſus populum dicit *Dominus vobiſcum*; tum redeat cum eo ad idem cornu Epiſtolæ, ubi etiam ſtet poſt Celebrantem manibus junctis, uſque ad finem Orationis, niſi vertenda ſint folia, vel dicendæ ſint aliæ Orationes, quia tunc accedit ad dexteram Celebrantis, & eas illi oſtendat; deinde redeat poſt eum ad medium altaris.

Si dicendum ſit, *Humiliate capita veſtra Deo*, nulla facta genuflexione, ſtans in cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem, convertat ſe ad populum per latus ſuum dexterum, & illud cantet junctis manibus, & demiſſis oculis, quo dicto vertat ſe per eamdem viam ad idem cornu Epiſtolæ, ubi ad orationem ſequentem ſtet poſt Celebrantem in eodem loco.

Finitis orationibus claudat librum niſi dicatur aliud Evangelium peculiare, quia tunc relinquat apertum, ſi vero non ſit dicendum Evangelium peculiare, dum dicitur concluſio Orationis, Diaconus accedens ad dexteram Celebrantis, claudat librum manu dextera, ita ut pars clauſa reſpiciat cornu Evangelii. Deinde procedat cum Celebrante ad medium Altaris,

taris, ubi dicto per eumdem Celebrantem: *Dominus vobiscum*, genuflectat, seque vertat ad populum, sicut Celebrans, & cantet junctis manibus, ac demissis oculis: *Ite Missa est*, & absque ulla inclinatione, statim se convertat ad Altare. Si autem dicendum sit *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace*, non se vertat versus populum, sed eum cantet, manibus junctis, in suo loco facie versa ad Altare.

Dum celebrans dicit *Placeat tibi &c.* genuflectat supra secundum gradum ad dexteram Celebrantis, paululum versus cornu Epistolæ, impingatque sibi Crucem a fronte ad pectus, uti mos est laicis, ad benedictionem Celebrantis.

Data Benedictione surgat, & accedat ad cornu Evangelii, ubi quasi a dextris Subdiaconi super secundum gradum, aliquantulum post ipsum Celebrantem stet se signans, inclinans, & genuflectens cum Celebrante versus librum, quando opus est, ut ad primum Evangelium.

Denique, dicto per Subdiaconum *Deo gratias*, accedat ad cornu Epi-

stolæ a dextris Celebrantis, & in medio Altaris, & facta Cruci inclinatione, descendat in planum, vertens se per eam partem, quæ respicit cornu Evangelii, ubi cum aliis genuflectat, surgat, biretum a Ministro acceptum Celebranti porrigat cum quasi osculo, & suo etiam accepto, redeat eodem modo, & ordine, quo venerat, in Sacristiam, salutans Chorum, ut initio Missæ, si fieri potest, ibique salutata imagine, & etiam Celebrante postea cum inclinatione profunda, eum adjuvet, dum deponit paramenta sua. Acolythi vero ministrent ipsi Diacono, dum exuit se. Tum facta Oratione, lotisque manibus, cum aliis Ministris discedat in pace.

Quando Diaconus diebus per Rubricam Missalis præscriptis, utitur planeta plicata, eam dimittat, cum lecturus est Evangelium (idest priusquam librum Evangeliorum deferat ad Altare) vel eum tum super sinistrum humerum plicet in longum, aut convolutam super stolam complicet: aut loco illius ponat (& hoc est usitatius) super stolam communem, aliam stolam latiorem,

rem, in modum planetæ plicatæ, ſicque miniſtret Celebranti uſque ad factam communionem, & manuum ablutionem, omnibuſque peractis, priuſquam Miſſale deferat ad latus Epiſtolæ, depoſita latiori Stola, reſumat planetam plicatam, nec eam deponat amplius.

Diaconus, ſi abſoluta Miſſa, aliquando ſibi opus ſit ſociare Celebrantem in proceſſionibus, deponere debet Manipulum, etiam in proceſſionibus Corporis Domini, in quibus pauci ſervant Rubricam.

Servare ne debet Diaconus eaſdem Cæremonias etiam in Miſſa ſolemni pro Defunctis.

Diaconus in Miſſis Defunctorum, facta Confeſſione, aſcendat ad Altare cum celebrante, ut in aliis Miſſis ſolemnibus, & ibidem genuflectat, cum idem Celebrans oſculatur Altare: tum accedens ad cornu Epiſtolæ, eidem Celebranti aſſiſtat. Non miniſtrat incenſum, niſi ad oblata, non ſe ſignet ad Introitum, nec oſculetur ea, quæ porrigit Celebranti, nec illius manum.

Deferat autem de more librum Evangeliorum ad Altare, & circa fi-

nem Tractus, aut Sequentiæ, genuflexus super oram suppedanei, dicat: *Munda cor meum*: statimque accipiens librum de Altari, non petita benedictione, sed facta genuflexione super infimum gradum, præcedentibus Acolythis sine Candelabris, vadat cum Subdiacono a sinistris ad Evangelium cantandum, ad quod stent omnes eodem modo, quo aliis in Missis.

Dum Celebrans incipit offertorium, Diaconus explicet Corporale delatum cum bursa a Subdiacono simul cum Calice, bursam ad cornu Evangelii collocet, Hostiam supra patenam celebranti porrigat, & vinum more solito ministret; non det patenam Subdiacono; sed statim facta oblatione Hostiæ, eamdem patenam ponat aliquantulum subtus corporale, & reliquam partem ipsius Purificatorio, post exteriorem Calicis, cooperiat.

Ad Oblata petens Benedictionem, ministret incensum, & thurificato Altari, solum Celebrantem incenset, & Episcopum, si adsit. Ut celebrans tergat manus, cum debitis reverentiis, & sine osculis, ministret manutergium. Cum celebrans dicit:

cit: *Orate Fratres*, ipse respondeat: *Suscipiat Dominus &c.* Reliqua peragat, ut in aliis Missis, usque dum celebrans dicit: *Et Dimitte nobis &c.* & tunc patenam accipiat ab Altari, & extersam det Celebranti sine osculis. Ad *Agnus Dei* morem gerens Celebrantis non sibi percutiat pectus, neque accipiat pacem, sed eo dicto, & facta genuflexione accedat ad librum, ubi iterum genuflectat, & ministret, ut in aliis Missis.

Post Orationem, dicto a celebrante *Dominus vobiscum* Diaconus stans retro post eumdem Celebrantem, non se vertens ad populum, dicat junctis manibus: *Requiescant in pace*, semper in numero plurali, etiam si pro uno tantum celebrata sit Missa. Cætera omnia peragat Diaconus, ut in aliis Missis, exceptis iis, quæ supra diximus.

Ad absolutionem in fine Missæ, si facienda sit, deposito tantum suo manipulo in cornu Epistolæ, adjuvet Celebrantem in eodem cornu Epistolæ exuentem se Planeta, & manipulo, & ei imponat Pluviale. Deinde facta in medio Altaris super

infimum gradum genuflexione a finiſtris Celebrantis, una cum illo procedat ad Tumulum a ſiniſtris ejuſdem nudo capite, ubi ſtet aliquantulum retro poſt eum etiam a ſiniſtris. Dum vero reſumitur Reſp. *Libera me Domine &c.* ſub finem tranſiens a tergo ad dexteram ipſius Celebrantis, ſine genuflexione, una cum Thuriferario, miniſtret incenſum de more, porrigens ſine oſculis cochlear, dicens tamen *Benedicite Pater Reverende*.

Intonato, & dicto a Celebrante *Pater Noſter*, porrigat illi de manu Miniſtri acceptum aſperſorium ſine oſculis a dextris, & elevans fimbriam anteriorem dexteram Pluvialis manu ſiniſtra, facta Altari genuflexione procedat aliquantulum poſt eum a dextris ejus, dum faciat aſperſionem lecticæ, tranſienſque ante Crucem Proceſſionalem genuflectat, licet Celebrans tantum profunde ſe inclinet.

Completo circulo receptum aſperſorium reddat Miniſtro, acceptumque Thuribulum tradat etiam Celebranti ſine oſculis, & eodem modo, quo ſupra ad aſperſionem, comite-

tur

tur illum, & reversus ad pristinum locum, accipiat thuribulum, idque reddat Thuriferario, deinde accipiat librum de manu Ministri, & stans ante faciem Celebrantis, facta ei prius inclinatione debita, paulo tamen a sinistris ejus tenet librum apertum, ex quo dicit versus, & orationem cum suis conclusionibus, quibus dictis recedat, facta Celebranti iterum inclinatione, & clausum librum reddat Acolytho, & statim pergat ad dexteram ejus paululum retro: Et cum celebrans dicendo in fine Vers. *Requiem æternam*, &c. format signum Crucis super lecticam, ipse tantillum elevet anteriorem pluvialis fimbriam, & dicto *Requiescant in pace*, recedat cum aliis incedens a sinistris Celebrantis ordine, quo venerat, in Sacristiam. Ad Exequias etiam, modo fiant post Missam immediate, ministret, & assistat eodem modo.

Quomodo se gerit Diaconus in Processionibus?

In Processionibus communibus Diaconus nudo, vel tecto capite, procedat a sinistris Celebrantis, & ideo non elevet pluviale ejus, quia illud

non elevat, quando Subdiaconus defert Crucem. In aliis vero processionibus solemnibus procedat a dextris, & Subdiaconus a sinistris, ambo elevantes pluviale Celebrātis a parte sua.

In Processione SS. Sacramenti ministret stans a dextris Celebrantis sine osculis, neque benedictionem petat ad incensum. Dum vero Sacramentum thurificatur, genuflexus a dextris Celebrantis, pluvialis fimbriam utraque manu elevet. Porrecturus SS. Sacramentum Celebranti, antequam ex Altari illud accipiat, utroque genuflectat, & postquam tradiderit Celebranti, genuflexus rursus reverenter illud adoret, & feria quinta, & sexta majoris hebdomadæ extremitatibus veli Calicem cooperiat.

Dum defertur Sacramentum, procedat a dextris Celebrantis, sinistra manu fimbriam pluvialis elevans, altera brachium Celebrantis sustentans; feria tamen sexta in Parasceve, quia Celebrans non utitur pluviali, sinistra manu illius brachium sustentet, si commode possit, & altera pedem Calicis teneat, & sic procedens alternatim cum Celebrante, sub-

ſubmiſſa voce recitet Pſalmos, & Hymnos; quod ſemper obſervatur in omni Proceſſione SS. Sacramenti.

Cum vero pervenerit ad locum, ubi reponendum eſt Sacramentum, accepturus Oſtenſorium, vel Calicem a Celebrante, genufleċtat totus ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ, ibique accipiat ambabus manibus SS. Sacramentum; tum ſe erigens, ſtet aliquantulum ante Celebrantem, ut illud adoret, mox ſuper altare illud deponat, iterum genufleċtat, ſurgenſque deſcendat, & miniſtret incenſum, & adjuvet Celebrantem, dum Sacramentum incenſat, ut ſupra omittens oſcula ſolita.

Ad Orationem genuflexus ad dexteram Celebrantis librum ſuſtineat cum Subdiacono ad ſiniſtram, quem clauſum poſtea reddat Acolytho.

Ad Benediċtionem, ſi danda eſt, fimbriam pluvialis a parte ſua aliquantulum elevet genuflexus ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ; repoſito tabernaculo cum hoſtia ſuper Altare a Celebrante poſt benediċtionem ſurgat, & ipſum intra tabernaculum majus cum conſuetis genuflexio-

nibus reponat, clavique obſerat oſtiolum, & factis debitis reverentiis, cum Celebrante recedat. Vide fuſius Diaconi ritus apud Bauldry, Piſcaram, Corſettum, & Buongiovanni, ex quibus hæc parva ad litteram habuimus.

De Ritibus, ſeu Rubricis generatim in celebratione Miſſæ ſervandis.

CAPUT VI.

Cum admodum turpe ſit, Sacerdotes ignorare ea, quæ circa omnium Chriſtianarum actionum ſacratiſſimam ſcitu ſunt neceſſaria; nam hujuſmodi ignorantia culpæ annumeratur; idcirco requiro in primis: Quomodo Miſſa eſt celebranda?

Miſſa celebranda eſt cum quinque literis *A*, *B*, *C*, *D*, *E*, videlicet Alte, Breviter, Clare, Devote, & Exacte, quæ omnia ſic explicantur.

Alte, ut audiatur; ita tamen, ut alios in eodem loco tunc temporis celebrantes non impediat. Cum vero plures Sacerdotes ſimul concelebrant,

brant, temperare vocem debent, ne se invicem perturbent: decet tamen, ut minus dignus, & inferior digniori cedat celebranti, & humiliori voce proferat: at quando sunt æquales, cedat qui in minori Altari, Sacerdoti, qui in majori sacrum facit.

Breviter, ut ultra mediam horam non protrahatur. Doctores vero hic asserunt, quod *qui Missam præcipitant, in infernũ præcipitant;* ideo melius est in Missæ celebratione ad moderatam prolixitatem declinare, quam ad indecentem accelerationem. Sciant isti abbreviatores, duas horas in celebratione primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes impendere consuevisse.

Clare, ut omnia verba integre proferantur; ita tamen ut distincte, expediteque legat, ad puncta, & commata brevem aliquam morulam interponat juxta sensum rei, quam legit; non nimis tarde, nec celeri cursu, sed mediocritatem in omnibus servet, affectationem, & levitatem fugiat; dicat tandem voce quidem nec omnino depressa, neque admodum elevata, vel clamorosa, sed gravi, ac decora, ut circumstantibus devotionem pariat.

De-

Devote, ut ſacrificans attendat ad ea, quæ peragit, & dicit; ideſt ut in ſe non admittat ullam internam voluntariam diſtractionem.

Exacte; ut ſerventur omnia in Rubricis præſcripta. In Celebratione enim Miſſæ non eſt attendendum quid ab aliis fiat, ſed quid faciendum ſit.

In celebranda Miſſa ſufficit, ſi Sacerdos dicat, & recitet mente, quæ ſecreto ſunt dicenda?

Etſi nonnulli, ut Navar. *de hor. can. c.* 29. *num.* 14. id revocent in dubium, dicantque ſibi, ſpeculative loquendo, improbabile non videri. Contrarium tamen omnino eſt ſtatuendum, quod ſatis confirmant tum Rubricæ Miſſalis præceptivæ; tum uſus,& praxis totius Eccleſiæ proferendi ore, non autem recitandi mente, quæ ſecreto ſunt dicenda.

Sacerdos ita ſubmiſſe celebrans Miſſam, ut a circumſtantibus non audiatur, eſt ne jdcirco alicujus culpæ damnandus?

Sacerdos, qui ea ſubmiſſa voce celebrat, profecto reprehenditur a Navar. quem citat, & ſequitur Sa *V. Miſſa n.* 50. Quia contrafacit Rubricis, quæ præſcribunt, ut exceptis

ſecre.

secreto dicendis, Missa intelligibili, claraque voce dicatur. Sed talem Sacerdotem a peccato excusari, rectius censet Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *q. ult. punt.* 11. *n.* 20. Quia in jure sive præcepto, audiendi Missam, *audire* accipitur pro interesse; proindeque sufficit, si fideles Missæ devote intersint, quamvis Celebrātem non audiant.

Quid, si Celebrans etiam consecrationis verba tam alte proferat, ut a circumstantibus audiantur?

Si a Ministro Missæ duntaxat Consecrationis verba audiantur, omnino est excusandus. Si ad sex, vel octo passus, venialis gravis; si ad quadraginta passus audiantur, lethalis culpæ damnatur a pluribus Doctoribus cum Gavanto *p.* 1. *tit.* 16. *n.* 1. Tum quia agit contra ritum communissimum in actione omnium gravissima. Tum quia præbet occasionem scandali, & offensionis, quod signanter notari debet a celebrantibus.

Quinam est tonus Missam legendi?

Pluribus tonis legitur Missa, nimirum clara voce, convenienti, vel intelligibili voce, alta voce, mediocri voce, submissa voce, aliquantulum elevata voce, & secreto; Idem tamen

men est *clara*, *convenienti*, *&* *intelligibili voce*, videlicet voce tali, ut commode a circumstantibus percipi possit, ut supra diximus *litera* C. Alta voce utitur Cæremoniale pro his, quæ in officio, vel Missa cantari debent: *mediocri vero*, *submissa*, *&* *aliquantulum elevata voce* pro eodem accipienda sunt, idest, ut non inter dentes dicatur, nec rursus alte, sed taliter ut a ministris, & aliquibus tantum ex circumstantibus percipi possit. Quod vero secreto dicendum est, ita a Sacerdote intra se recitari debet, ut distincte quidem, ac labiorum motu proferatur, non tamen a circumstantibus intelligatur.

Clara voce dicuntur omnia in Missis privatis ab initio Missæ usque ad *Aufer a nobis*, *&c.* exclusive. Item ab Introitu usque ad *Munda cor meum*, *&c.* exclusive; ab Evangelio usque ad Offertorium inclusive: dicitur tamen *Per Evangelica dicta &c.* secreto. Item Præfatio usque ad *Sanctus* exclusive. Item a *Per omnia &c.* ante Orationem Dominicam usque, *&* *ne nos inducas in tentationem* inclusive. Item *Per omnia &c. Pax Domini &c. Agnus Dei &c.* Antiphona,

quæ

quæ dicitur Communio; Orationes post Communionem, *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, & *Requiescant in pace: Benedicat vos*, & Evangelium.

Mediocri voce dicitur finis Præfationis, videlicet cum dicitur, *Sanctus* uno tantum tono deprimendo vocem.

Aliquantulum elevata voce dicuntur inter secreta aliquæ particulæ, ut sunt *Orate Fratres: Nobis quoque peccatoribus*, & *Domine non sum dignus*, quæ tantum verba parum elevata voce dici debent, reliqua vero, quæ sequuntur, secreto prosequi oportet. *Secreto* vero dicuntur reliqua in Missa, quæ submissa voce dicenda sunt.

Semper ea omnia ex libro vel tabella secretorum legi debent, exceptis aliquibus, quæ memoriter sunt dicenda, cujusmodi sunt, ab initio Missæ omnia usque ad Introitum Missæ exclusive; *Munda cor meum*, &c. *Jube Domne Benedicere. Dominus sit in corde meo*, &c. ante Evangelium: *per Evangelica dicta* &c. post Evangelium, *Deus qui humanæ substantiæ*, cum vinum, & aquam infundit in Calicem; *Lavabo inter innocentes*, &c. in lotione manuum; *Panem*

cœle-

cœlestem &c. Domine non sum dignus, &c. Corpus Domini nostri &c. Quid retribuam Domino, &c. Sanguis Domini nostri &c. Quod ore sumpsimus &c. Corpus tuum Domine &c. Benedicat vos omnipotens Deus &c. & quædam alia verba, quæ infra actionem dici debent. Convenit tamen etiam, ut Sacerdos quilibet sciat memoriter ea omnia, quæ ordinarie dicuntur in Missa, ut *Gloria in excelsis: Credo: Suscipe Sancte Pater: Offerimus: In spiritu humilitatis: Veni Sanctificator: Suscipe Sancta Trinitas*: Canonem: *Placeat tibi*, & alia; ut melius, & decentius celebret: legere tamen debet semper omnia ad Altare, quantum fieri potest, ne aliquid ei ex memoria decidat.

Missa non tantum breviter, sed festinanter a Sacerdote peragitur, est ne excusandus?

Sacrificium Missæ, regulariter loquendo, rite, & devote vix potest peragi breviori spatio, quam media hora. Propterea Sacerdos, qui ita festinanter celebrat, ac si vel esset a tergo, qui festinare urgeret, vel præmio certandum foret de Missa, ut solet dici, venatoria, intra horæ quadran-

drantem absolvenda, a culpa gravi non videtur excusari. Ita Molina *in instruct. Sacerdot. tr.* 2. *cap.* 13. *sess.* 2. Nec facile quis mihi persuadebit, se communiter cum debita devotione, etsi multis imperfectionibus, intra horæ quadrantem, Sacrum absolvere.

Quid de illo, qui non devote, hoc est sine debita attentione, sed animo divagante peragit Sacrum?

Extra canonem qui voluntarie distrahitur, non est immunis a veniali, quia aliquam irreverentiam admittit. In canone vero, qui diu lubens; & volens mente divagatur, profanas fovendo cogitationes, non vacat culpa mortali. Tum quia in canone continetur essentia Sacrificii. Tum quia evagatio eo temporis est causa errorum circa cæremonias reales, ac verbales, quarum observationem severe urgent Theologi. Vide Tambur. *de exped. Sacrif. lib.* 3. *c.* 3. *n.* 6. & 8.

Quæ sunt justæ causæ cœptam Missam vel relinquendi, vel interrumpendi?

Sunt sequentes. Prima, si Sacerdos recordetur se non jejunum, vel excommunicatum aut irregularem esse, & Canon nondum cœptus sit, se-

clus

clauso tamen scandalo, & gravi nota. Secunda, si ante incœptum Canonem superveniat interdictum speciale, vel cessatio a divinis, neque habeatur privilegium januis clausis celebrandi, vel interdictum generale; nec permittatur claudere januas, & interdictos excludere; vel excommunicatus aliquis denuntiatus, qui expelli nequeat, potest, immo tenetur a Sacrificio incœpto desistere. Tertia, si gravis morbus, vel alia gravis corporis necessitas, quæ sustineri non possit, superveniat, potest Sacrificium incœptum, etiam post consecrationem interrumpi, & morbo, vel necessitate cessante, Sacrificium continuari. In hoc casu constituendus est Clericus, vel vir gravis, qui species consecratas custodiat. Si morbus vero sit diuturnus, ut nequeat Sacrificium inchoatum perfici, debet alius Sacerdos etiam non jejunus, cum jejunus non adsit, substitui, si consecratio facta fuit. Quarta, ob adventum Episcopi, Ducis, vel Processionis populi, quos decet integre Missam audire, neque est alius Sacerdos, qui celebret, potest Missa inchoata, dum-
modo

modo oblati nondum facta sit, relinqui, & iterum a principio inchoari.

Quinta, ut post Evangelium fiat prædicatio ad populum, vel propter Ordines conferendos, sicuti usu receptum est. Sunt etiam aliæ, ad quas sciendas remitto lectores ad moralis Theologiæ auctores, cum scientia harum hic parum referat.

Sacerdos debet ne repetere ea, quæ non recordatur se dixisse, quando est jam aliquantulum progressus?

Respondeo cum D. Th. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad.* 5. quod licet Sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum, quæ dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari, non enim qui multa dicit, recolit omnia, quæ dixit: nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione jam dicti; sic enim aliquid efficitur memorabile. Unde si aliquis attente cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet se dicere illud; non multum postea recolit se dixisse; sic enim fit aliquid objectum memoriæ, in quantum accipitur sub ratione præteriti. Unde scrupulosi debent omnino quiescere in hoc, nec repetere, etiam si non recordentur. Si tamen Sa-

cerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, siquidem non sunt de necessitate Sacramenti: non est existimandum, quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem Sacrificii, sed debet ulterius procedere. Si vero certificetur se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti scilicet formas consecrationis, cum forma consecrationis sit de necessitate Sacramenti, resumenda est forma saltem sub tacita conditione, & cætera per ordinem recitanda, ne mutetur ordo Sacrificii. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius, dummodo vero moraliter commode fieri non possit, ut cum jam aliquantulum progressus est Sacerdos, & in hoc casu Sacerdos omissas preces ex inadvertentia supplere debet in Sacristia. Si vero dum orat, post pauca verba, ut sine incommodo posset fieri repetitio, certo advertat se aliquid notabile omisisse: v. g. die Paschæ, communicantes, paululum regrediendum est, & repetendum. Tambur. *de expedit. Sacrificii, l.2.c.5.*

Qualis Missa dicenda est singulis diebus?

Mis-

Missa, & officium divinum cujuslibet diei debent concordare, præsertim diebus festis, & Dominicis. Quando vero non est dies festus, nec exceptus, possunt dici Missæ votivæ pro occurrente necessitate. Qua de re fusius infra *cap.* 7. Vide Barbos. *de offic. & potest. Parochi cap.* 11. *n.* 25. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 39.

Potest ne Sacerdos in loco, ubi celebratur festum, dicere Missam de festo, officium autem juxta præscriptum Kalendarii?

Non facit contra Rubricam id faciendo, & potest in illa Ecclesia dicere *Gloria*, & *Credo*, etsi non dicatur extra illam, Vide Arnaud. 3. *part. tit.* 10. *n.* 20. & fusius Gavant. 3. *p. tit.* 10. *n.* 15.

In festo duplici est ne liberum Sacerdoti celebrare Missam de Requiem?

Olim Missæ de *Requiem* tolerari poterant in festo duplici pro implenda testatorum voluntate, & ita censuisse Sacram Congregationem *die* 1 *Septemb.* 1607. & 20. *Junii* 1627. refert Barbos. *de offic. & potest. Paroch. cap.* 11. *num.* 26.

Hodie vero Missæ de *Requiem* privatæ

vatæ in festo duplici, etiamsi non sit de præcepto, non possunt dici, neque pro implenda testatorum voluntate, ut patet ex sequenti decreto novissime a Sacra Congregatione jussu Alexandri VII. *die* 5. *Augusti* 1662. edito, ejus, qui sequitur, tenoris.

Cum Sanctissimus Dominus noster in visitatione Ecclesiarum Urbis, acceperit in plerisque Ecclesiis abusum irrepsisse celebrandi Missas privatas pro Defunctis etiam in festis duplicibus, contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani; eumdemque abusum decreto Congregationis eliminari præceperit. Innotuerit vero Sacrorum Rituum Congreg. hujusmodi abusum in aliis Ecclesiis ubique gentium existentibus inductum pariter irrepsisse. Sacra eadem Congregatio, ut Missalis Rubricæ inviolatæ serventur, districte præcipit omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam sæcularibus, quam regularibus cujusvis ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam necessario exprimendi, ut imposterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro defunctis, seu de Requiem, *in duplicibus nullatenus celebrare audeant,*

deant, vel præsumant. Quod si ex benefactorum præscripto Missæ hujusmodi celebrandæ incidant in Festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem impeditam, ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicatur de Festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem benefactorum. Curentque Ecclesiarum Rectores, Sacristæ, aliique, ad quos pertinet, ut hujusmodi decretũ inviolabiliter servetur, & in Sacristia affixum retineatur, scilicet ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici, & legi possit. In eos autem, qui contra facere ausi fuerint, vel premissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tum sæculares, tum regulares, pro modo culpæ animadvertant.

Die 5. Augusti 1662.

Jo. Episc. Sabinen. Card. Sacchetus.

Quod decretum ut firmius permaneret, faciliusque in observationem deduceretur, Santiss D. N. Clem. IX. alio decreto emanato *die 23. Sept. 1669.* declaravit, ut Missę, quę de festo duplici currente celebrantur in Altari privilegiato, animabus in Purgatorio existenbus ita prosint, & suffragentur, ac si Missę illę de *Requiem*, vel Defunctorũ juxta

ta formam privilegiorum celebratæ fuissent. Cujus declarationis Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares memores esse debent.

Si insepultum, & in Ecclesia præsens sit corpus, possunt ne in Festis duplicibus dici Missæ de Requiem, *non obstante prædicto decreto?*

Tali casu etiam in Festis de præcepto, & Dominicis diebus, possunt dici Missæ de *Requiem*, ubi est consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa. Ita declarasse Sacram Rituum Congregationem *die* 23. *Maii* 1603. refert Barbos. *loc. cit. n.* 25.

Usus tamen, & consuetudo pluribus in locis, & potissimum hic Venetiis recepta, interpretatur mentem Sacræ Congregationis esse, ut eo casu Missa tantum solemnis cantetur de *Requiem*, reliquæ dicantur de Festo currente, sine Oratione funebri. Siquidem in Missis spectatur principalis fructus ex opere operato, qui idem est singulis.

DE

DE
MISSIS VOTIVIS
CAPUT VII.

Quibus diebus permittuntur Missæ votivæ?

MIssę votivę nuncupantur, quę pro voluntate,& desiderio dicuntur. Voluntas tamen debet esse prudens,& non irrationalis, puta, ut Sacerdos breviorem celebret Missam. Gavant. *de Missis Votivis part.* 1. *tit.* 4.

Missæ itaque votivæ privatę non possunt dici, quando officium est duplex, nec in Dominicis, ex nova rubrica in recognitione Missalis (quod intelligendum est de die Dominico, non de officio Dominicæ) nec infra octavas Epiphaniæ, Paschæ & Pentecostes, nec in majori hebdomada; nec feria quarta Cinerum, nec in Vigilia Nativitatis Domini,& Pentecostes. Ita declaravit Sacra Rituum Congregatio 28. *Augusti* 1627.

Prædictis octavis, in quibus non possunt celebrari Missæ votivæ, Sanctissimus D. N. Clemens X. decreto suo novissimo Romæ edito *die*

13. *Septemb.* 1670. addidit octavam Corporis Christi; & sic infra illam octavam prohibitæ manent, Missæ votivæ quæcumque.

Hisce diebus, & octavis exceptis Missæ votivæ possunt dici pro occurrente necessitate, vel celebrantis voluntate. Gavan. *loc. cit. Barbos. cit. cap.* 11. *num.* 25.

Objectio: *Sacerdos tenetur recitare Officium, quod pro unoquoque die in Kalendario præscribitur; ergo etiam celebrare Missam, quæ pro unoquoque die in eodem Kalendario notatur. Ergo non potest pro sua voluntate Missas votivas dicere vel de* Requiem?

R. Non est par ratio. Quia Sacerdos ex vi Sacræ Ordinationis obligatur quotidie ad recitationem Divini officii, illudque recitare tenetur, prout unoquoque die in proprio Kalendario præscribitur. Ad celebrandam vero Missam quotidie non obligatur Sacerdos ex vi suæ ordinationis, sed ter, vel quater dumtaxat in solemnioribus, ut supra dictum est *de Presbyteratus ordine*. Ideoque potest dicere Missas votivas, vel de *Requiem*, quoties hæ non sunt prohibitæ a Sacra Rituum Congregatione.

In

In Missis votivis privatis, exceptis assignatis in Rubrica, non dicitur Hymnus Angelicus, nec *Credo*, neque legitur Evangelium Feriæ, neque currentis Festi in fine Missæ, etiamsi sit tempus Paschale, aut infra octavas, vel celebrentur in Ecclesia propria.

In Missis votivis Beatæ Virginis excepta ea, quæ juxta Missalis Rubricas dicitur Sabbato, numquam dicitur *Gloria in excelsis*, & *Credo*, etiamsi in Altari, vel Ecclesia Beatæ Virgini dicatis celebretur.

Missæ de Spiritu Sancto, de B. Virgine, & pro Defunctis, quæ imponuntur Presbyteris, post celebrationem primæ eorum Missæ celebrandæ, sequuntur leges Missarum votivarum; ideoque non possunt dici iis diebus, quibus prohibentur Missæ votivæ; in eisdemque debet omitti *Gloria*, & *Credo*: & pro Defunctis dicitur Missa quotidiana cum tribus Orationibus.

Infra Octavam B. Virginis non convenit dicere Missam votivam de eadem, sed si fit officium de octava B. Virginis, dicitur Missa Festi conveniens officio cum *Gloria*, & *Credo*; si vero fit Officium de Sancto, dicitur

Missa de octava B. Virginis, sub ritu votivo, hoc est, sine *Gloria*, & *Credo*. Idem observandum est etiam infra octavas Sanctorum.

Cum a laicis petitur Missa votiva de Assumptione B. Virginis, de Nativitate ejusdem, & ejusmodi; dici potest Missa de B. Virgine ex quinque votivis pro diversitate temporum accommodatis, ad honorem Assumptionis, vel Nativitatis, sicuti monet Gavantus *tom.* 1. *p.* 4. *tit.* 17. *n.* 8. Alioquin valde dedeceret audire: *Gaudeamus*, *&c. diem festum celebrantes*; vel mutare diem festum in commemorationem. Neque enim ex indiscreta laicorum devotione violandæ sunt Rubricæ.

De Ritibus a Sacerdote tota actione Missæ servandis.

CAPUT VIII.

Complectere cæremonias a Sacerdote in peragendo Sacro servandas.

CÆremonia est vox græca, & significat ritum, modum, seu circumstantiam Sacrificii.

Sa-

Sacerdos igitur celebraturus, si confessione indiget, confiteri debet, antequam vestiat indumenta sacerdotalia, quæ si enormiter sint immunda, peccat mortaliter, cum eis celebrando. Confessio vero facienda est, nisi quotidie, saltem frequenter, quamvis lethalia peccata non habeantur. Matutino cum laudibus saltem absoluto accedat ad locum in Sacristia, ubi orationi aliquantulum vacet; & Orationes in Tabella posuitas dicat pro temporis opportunitate; advertat vero, Orationes privilegiatas. *Ego volo celebrare Missam, &c.* & *Gaudium cum pace &c.* numquam omittendas esse, sicut pium est, ultra commune *Memento vivorum, & mortuorum*, adhuc facere particularem commemorationem, imo etiam individualem applicationem Sacrificii, quod intendit offerre. Peracta præparatione, & habita ex Kalendario cognitione ordinandi Missam, accipiat Missale, prælegat Missam, sicut solebat Angelicus Doctor S. Thomas: tum ut Indulgentias a summis Pontificibus concessas lucretur, tum ne adstantes tædio Missam ad Altare quærendo, & scandalo eam male

male lectitando afficiat, & denique ut opportunæ, vel necessariæ mutationi, vel rectæ celebrationi provideat, & signacula ordinet ad ea quæ dicturus est. Postea lavet manus dicens: *Da Domine*, &c. Deinde præparet Calicem, super cujus os ponat purificatorium mundum, & super illud, Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergat, opus sit, a fragmentis, & eam tegat parva palla linea, tum velo serico, super velo ponat bursam, ita ut ejus pars aperta respiciat Celebrantem, intra quam omnino includat Corporale, quod extra Bursam deferre non licet. Accommodato Calice, super quem nihil ponat, velum super Bursam, ab anteriori parte, revolvat; sed si perspicillis utatur, ponat super Bursam, & tegat velo, quod super ipsam plicat.

Induens se Sacerdos sacris vestibus, orationes, quæ dicuntur ad singula paramenta, voce omnino submissa dicat. Osculetur Cruces, ubi adsunt, in honorem Sanctæ Crucis. Accipiens Amictum circa extremitates, & chordulas, osculetur illud in medio, ubi est Crux, omisso signo

gno Crucis, quam aliqui sibi faciunt manu, & amictu simul, quod est contra Rubricam, & ponat super caput, & mox declinet ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducat chordulas sub brachiis, & circumducens per dorsum, ante pectus reducat, & liget. Tum albam induat, caput submittens, deinde manicam dexteram brachio dextero, & sinistram sinistro imponens; si vero ab alio accipiat, caput submittat junctis manibus. Albam ipsam corpori adaptet ante, & a lateribus hinc inde, & cingulo per Ministrum a tergo sibi porrecto, se cingat. Minister elevet Albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat, & tegat vestes; ac ejus fimbrias diligenter aptet, ut ad latitudinem digiti, vel circiter super terram æqualiter fluat. Sacerdos accipiens manipulum osculetur Crucem in medio, & imponat brachio sinistro, ac liget infra cubitum, non supra, nec longius a manu. Deinde ambabus manibus accipiens stolam simili modo deosculetur, & imponat medium ejus collo, ita, ut non sit longe a collo,

& ut a Planeta, quæ ſuper imponenda eſt, tegatur, ac tranſverſando eam ante pectus in modum Crucis, ducat partem a ſiniſtro humero pendentem ad dextram, & partem a dextro humero pendentem ad ſiniſtram. Sicque utramque partem ſtolæ extremitatibus cinguli, hinc inde ipſi cingulo conjungat. Poſtremo Sacerdos accipiat planetam, quam firmet ante pectus aliquo ligamine ab intus poſito.

Sacerdos omnibus paramentis indutus ſalutet alios Sacerdotes aperto capite, & capite cooperto accipiat manu ſiniſtra Calicem per nodum, quem portet elevatum ante pectus, burſam manu dextra ſuper Calicem tenens extenſa, ac facta profunda reverentia Cruci, vel imagini principali in Sacriſtia poſitæ, capite cooperto accedat ad Altare. Procedat autem oculis demiſſis, inceſſu gravi, erecto corpore, neminem ſalutet, aut reſalutet aperto capite, ſed tantum Prælatis, & Magnatibus caput inclinet. Idem faciat, cum tranſit per medium Chori, ubi adſit Clerus, vel ante illum. Si vero obvium habeat alium Sacerdotem redeuntem

ab

ab Altari, sequens viam suam a latere suo dextro cum capitis cooperti inclinatione salutet. Si vero transeat ante Altare majus in quo non sit SS. Sacramentum, capite cooperto inclinetur, sed non profunde. Si ante Altare, ubi sit Sacramentum in Tabernaculo inclusum, genuflectat unico genu, sed caput non aperiat. Si vero ante Altare ubi sit expositum Sacramentum, vel post Consecrationem, vel ubi ministretur, genuflectat unico genu, capite detecto. Si ante Altare, ubi elevetur Sacramentum, utroque genu flectat detecto capite, usque ad depositionem Calicis super Corporale. In his casibus tamen caput non detegat, nisi prius genuflexus, & illud tegat, antequam surgat, caute se gerens, dum amovet manum dextram ad detegendum caput, ne aliquid de Calice cadat. Si denique transeat ante Altare, in quo sit exposita solemniter insignis Reliquia Sancti, de quo sit festum ibidem, aut quia in magno honore est apud populum, detecto capite illi profunde inclinetur. Insignis Reliquia est caput, brachium, crus, vel pars, in

qua passus est Martyr, modo sit approbata, integra, & non parva.

Sacerdos, cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegat, biretum Ministro porrigat, & Altari, seu Imagini Crucifixi desuper positæ, profunde inclinet. Si autem in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti unico genu flectat super infimum gradum. Tunc ascendens ad medium Altaris, sistat Calicem ad cornu Evangelii, extrahat Corporale manu dextra de bursa, quod extendat in medio Altaris, & si sit Crux acu picta in ora ejus, ponat ad anteriorem partem Altaris, ut illam osculetur, & ora ipsius Corporalis oram Altaris tangat, & super illud Calicem velo undequaque coopertum, aut saltem contegat partem anteriorem, si velum sit nimis breve: bursam autem ponat manu sinistra ad cornu Evangelii, ita ut non deturpetur liquescente cera, parte ejus aperta respiciente medium Altaris, dummodo imagines in ea fortasse depictæ, capite inverso non ponantur. Si sit consecraturus plures particulas pro communione facienda, quæ ob quantitatem

tem

tem ſuper patena manere non poſſint, locet eas in aliquo Calice conſecrato, vel Pyxide, ponat eas retro poſt Calicem, & alia patena, aut proprio operculo Pyxidis cooperiat. Collocato Calice in Altari, & facta inclinatione Cruci, accedat ad cornu Epiſtolæ, aperiat Miſſale per ſe, reperiat Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodet, ac ita illud locet, ut pars inferior Altare tangat, & ſuperior pulvino adhæreat. Deinde rediens ad medium Altaris manibus junctis, facta primum Cruci reverentia, retrahat ſe aliquantulum ad cornu Evangelii, ne directe terga vertat Cruci, & vertens ſe ad cornu Epiſtolæ, deſcendat poſt infimum gradum Altaris. Vadens ad cornu Epiſtolæ, vel Evangelii, & rediens ad medium Altaris, ſive aliquo alio modo ſe movens, ſemper procedat manibus junctis. Si autem perſpicillis utatur, ponat ſuper Altare loco congruo, numquam vero ſuper Corporale, deponens eos in utraque conſecratione.

Sacerdos, cum primum deſcenderit ad infimum gradum Altaris, convertat ſe ad ipſum Altare, ubi ſtans

in

in medio, junctis manibus ante pectus, extensis & junctis pariter digitis, quorum extremitates neque terram, neque faciem directe respiciant, sed sint per gestum naturalem mediocriter elatæ, & pollice dextero super sinistrum posito in modum Crucis, (quod semper servetur, quando junguntur manus, præterquam post consecrationem) detecto capite facta prius Cruci, vel Altari profunda reverentia, vel, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipiat Missam. Si facta debita reverentia, sed nondum inchoato, *In Nomine Patris*, elevetur Sacramentum in Altari vicino, tunc genibus flexis super infimum gradum illud adoret, nec surgat, nisi post depositum Calicem. Si vero elevetur, quando ad Altare accommodat Calicem, vel reperit Missam, perficiat quæ facienda sunt, & postea descendens genuflectat, si tempus suppetat.

Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, manu sinistra infra pectus

su-

ſupra cingulum poſita, dicat intelligibili voce: *In Nomine Patris &c.* Et poſtquam id dixerit, non advertat quemcumque in alio Altari Celebrantem, etiam ſi Sacramentum elevetur, ſed continuate proſequatur Miſſam ſuam uſque ad finem.

Cum ſeipſum ſignat ſemper ſiniſtram ponat infra pectus, & poſt ſignum Crucis jungat manus, quod eſt intelligendum, ſi ea, quæ ſignum Crucis ſequuntur, dicenda ſint manibus junctis; in aliis benedictionibus cum eſt ad Altare, & benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponat eam ſuper Altare, niſi aliter notetur. Signum Crucis ſupra res, quæ benedicuntur, formetur non per quatuor puncta, ſed per duas lineas non excedentes menſuram palmi communis manus, alteram rectam, & alteram tranſverſam, digitis ſimul junctis, & manu prorſus in utraque linea extenſa, & recta. Seipſum benedicens vertat ad ſe palmam manus dexteræ, & omnibus illis digitis junctis, & extenſis, a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad

dex-

dextrum, ſignum Crucis formet. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertat ei cui benedicit; ac benedicendo, totam manum dexteram extendat, omnibus illius digitis pariter junctis extenſis, quod in omni benedictione obſervetur.

Poſtquam dixerit: *In Nomine Patris, &c.* ſtans erectus, junctis manibus, pronunciet clara voce antiphonam: *Introibo ad Altare Dei*, & proſequatur alternatim cum Miniſtro Pſalmum: *Judica me Deus*, uſque ad finem cum: *Gloria Patri*, ad cujus *Gloria Patri* prolationem Cruci caput inclinet; quo finito repetat antiphonam: *Introibo &c.* Ad verba: *Adjutorium noſtrum &c.* faciat ſibi dextera manu Crucem a fronte ad pectus, deinde profunde Altari inclinatus manibus junctis dicat confeſſionem, percutiendo ter ad verba: *mea culpa*, pectus digitis dexteræ ſimul junctis, ac clauſis in extremitatibus, ſiniſtra infra pectus poſita, non ſe vertens ad Miniſtrum, cum dicit: *Vobis fratres*, & *Vos fratres*, & *Miſereatur veſtri*. Eodem modo maneat inclinatus, donec a Miniſtro dictum

ſit:

sit: *Misereatur*, in cujus fine Sacerdos respondeat: *Amen.* Incepto a Ministro *Confiteor*, se erigat, quo finito Celebrans stans erectus dicat: *Misereatur vestri &c.* Deinde producens manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, dicat: *Indulgentiam &c.* & stans minus inclinatus, quam ad *Confiteor*, junctis manibus prosequatur: *Deus tu conversus*, & quæ sequuntur in ordine Missæ, clara voce ad Orationem: *Aufer a nobis &c.* Dicens: *Oremus* eadem voce, & inclinatione, extendat manus ad latitudinem corporis, non ultra, & statim jungat, non autem elevet.

Dum dicit: *Aufer a nobis &c.* Celebrans junctis manibus ascendat ad medium Altaris, & ibi inclinatus (ut vero apte se inclinet, aut genuflectat, paululum retrocedat ab Altari: idem faciat ad ipsum osculandum, ut possit osculari in medio, non ad latera; manibusque item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi ab aliis non disjuncti dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare, & se retento, pollice dextro super sinistrum in

mo-

modum Crucis posito: quæ omnia semper observentur, cum manus junctæ super Altare ponuntur) secreto dicat: *Oramus te, Domine, &c.* & cum dicit: *quorum Reliquiæ hic sunt*, osculetur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis, quæ manus extensæ ante consecrationem, sive ad osculandum, sive alia de causa, ponantur supra Altare extra Corporale, nisi Corporale sit adeo magnum, ut gestus fieret inconcinnus; quod semper servetur, quando osculatur Altare: se post consecrationem pollices ab indicibus non disjungantur.

Osculato Altari, accedat ad cornu Epistolæ, absque nova inclinatione, ubi stans versus Altare, & impingens sibi signum Crucis e fronte ad pectus, incipiat introitum Missæ, & prosequatur junctis manibus. Cum dicit: *Gloria Patri*, junctis manibus, Cruci caput inclinet, & repetat introitum, omisso Crucis signo. Repetito introitu accedat junctis manibus ante pectus ad medium Altaris, ubi stans caput Cruci inclinet, deinde, & non prius, incipiat similiter manibus junctis: ter: *Kyrie eleison*,

ter:

ter: *Christe eleison*, & iterum ter: *Kyrie eleison* alternatim cum Ministro. Quoties Sacerdos accedit ad medium Altaris, vel ab eo recedit, aut transit per ipsum, caput Cruci inclinet, nisi paulo ante recessum, vel paulo post accessum, inclinatio præscribatur a Rubrica. Dicto ultimo *Kyrie eleison*, Sacerdos stans in medio Altaris, & manus extendens ad *Gloria*, elevansque usque ad humeros ad *In excelsis*, (quod in omni manuum elevatione observetur) ad *Deo* junges manus, & caput Cruci inclinans, dicat, si dicendus est, Hymnum Angelicum, capite erecto stans junctis manibus ante pectus, prosequatur usque ad finem. Dicens: *Adoramus te*: *Gratias agimus tibi*: *Jesu Christe*: *Suscipe deprecationem nostram*, & iterum *Jesu Christe*, Cruci caput inclinet. Dicens in fine: *Cum Sancto Spiritu*, se signet signo Crucis, & in verbo *Amen* jungat manus.

Dicto Hymno Angelico, vel, si non sit dicendus, eo omisso, celebrans osculetur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis, tum illis ante pectus jun-

ctis,

ctis & demissis ad terram oculis, vertat se toto corpore a sinistro latere Altaris, quod est dextrum ipsius celebrantis, ad populum, & extendens, ac jungens manus ante pectus, ut prius, dicat: *Dominus vobiscum*; quo dicto, junctis manibus redeat per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens, & jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicat: *Oremus*. Deinde manus extendens ante pectus, ita, ut palma unius manus respiciat alteram, & digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat, (quod in omni extensione manuum ante pectus servetur) dicat Orationem. Dicens; *Per Dominum nostrum*, jungat manus, easque junctas teneat usque ad finem, nisi dicendæ sint plures Orationes; nam hoc casu post manuum junctionem, & capitis inclinationem versus Crucem, potest reperiri alia Oratio, antequam terminetur conclusio, & ita servetur in praxi. Si aliter concludatur Oratio: *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, dicens: *in unitate*, jungat manus, & nullo modo inclinet caput, nec se convertat ad Crucem.

cem. Ad ſolum nomen *Jeſus*, caput inclinet verſus Crucem, ſed cum nominetur in Evangelio, verſus librum. Ad nomen *Mariæ* ubicumque nominetur, inclinet caput non Cruci, niſi ſit in medio Altaris; ſed ad nomen aliorum Sanctorum, ſolum quando nominantur in Oratione, in Canone, dummodo vero de iſtis dicatur Miſſa, vel fiat commemoratio. Ad nomen Papæ viventis caput inclinet etiam in canone verſus librum, non Crucem. Quando folium Miſſalis vertendum, detegendus, vel tegendus, Calix, aut quid ſimile agendum eſt, Celebrans una manu id faciat, altera non ſuſpenſa in aere, ſed vel ſuper librum, aut ſuper Altare poſita, vel pectori admota. In Oratione *A cunctis* litera *N.* exigit nomen Patroni, ſeu Titularis, qui ſi eſſet S. Michael, vel ſimilis, vel S. Joannes Baptiſta, nominetur ante Apoſtolos. Quod ſi dicatur Miſſa de Patrono, vel fuerit nominatus ante Apoſtolos, nominetur Compatronus, ſi adſit, alioquin alius Sanctus ad libitum. In quatuor Temporibus, vel alias quando dicendæ ſunt plures Oratio-

nes

nes cum propriis, dicto *Kyrie eleison* in medio Altaris, facta prius Cruci reverentia, redeat ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum, extensis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans, dicat: *Oremus, Flectamus genua*, & illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectat, & sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente *Levate*, manibus extensis, dicat Orationem, ut supra, & in conclusione eas jungat. Dum autem legit prophetias, teneat manus hinc inde positas super librum, vel Altare. Toties, quoties se convertit ad populum, caveat, ne caput inclinet versus populum, vel a tergo innitatur Altari.

Dictis orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel, ut placuerit librum tenens, legat Epistolam, & similiter stans eodem modo, prosequatur Graduale, *Alleluja*, & Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, dum Minister portat librum, redeat ad medium Altaris, ibique

que ſtans junctis manibus ante pectus, non ſuper Altare, levatiſque ad Deum oculis, & ſtatim demiſſis, tum profunde ſe inclinans, dicat ſecreto: *Munda cor meum*, & *Jube Domine benedicere, Dominus ſit in corde meo, &c.* ut in ordinario. Quibus dictis, ad librum Miſſalis vadat, & locet illud ita, ut poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſive ad partem ejus contra ſe directam, ubi ſtans verſus illum junctis manibus ante pectus, dicat: *Dominus Vobiſcum*. Deinde pollicis pulpa dexterę manus ſigno Crucis ſignat, primo librum ſuper principio Evangelii, quod eſt lecturus, ſiniſtra poſita ſuper eum, poſtea ſeipſum in fronte, ore, & pectore, ſiniſtra poſita infra pectus, dicens: *Sequentia* vel *Initium Sancti Evangelii*. Tum junctis iterum manibus ante pectus, ſtans ut ſupra, proſequatur Evangelium uſque ad finem. Si legendo Evangelium occurrat genuflectere, vel inclinare, genuflectat, & ſe inclinet verſus librum. Quo finito Sacerdos parumper elevans librum, & inclinans aliquantulum caput, oſculetur il-

illum

lum in Evangelii principio dicens: *Per Evangelica dicta*, *&c.* Deinde eumdem super cussinum depositum locet juxta Corporale, ut facilius ex eo legere possit Offertorium, & ea, quæ dicenda sunt in medio. Dominica palmarum, & feriis tertia, & quarta, lecta Epistola cum Graduali ac Tractu Sacerdos accedat ad medium, donec per Ministrum transferatur liber, nihil interim dicens, sed ubi fuerit liber translatus, convertens se ad cornu Evangelii, non signando seipsum, neque librum, immediate incipiat: *Passio Domini nostri*, *&c.* & continuo prosequatur verba Evangelii, inclinans se, cum profertur sanctum nomen *Jesu*, versus librum, & cum perventus fuerit ad illa verba: *Jesus autem exclamans voce magna emisit Spiritum*, genuflectat utroque genu versus librum junctis manibus, ac capite humiliter declinato, ubi per spatium *Pater noster* sub silentio contemplato mysterio, facto prius signo, manu super Altare, ipse surgat, & eodem modo prosequatur legendo reliqua usque ad illam partem, quæ dicitur in tono

Evan-

Evangelii. Antequam legat partem illam, quæ in tono Evangelii dicitur, accedens ad medium Altaris more solito inclinatus, ac manibus junctis ante pectus dicat: *Munda cor meum*, *&c.* & *Jube, Domine, benedicere. Dominus sit*, *&c.* quibus dictis rursum ad librum rediens non signando librum, neque seipsum, quæ sequuntur in tono Evangelii prosequatur usque in finem.

Dicto Evangelio, si dicendum sit Symbolum, stans in medio Altaris versus Crucem, elevans, & extendens manus, non vero caput, aut oculos, incipiat *Credo*: dicens *in unum Deum*, jungat manus, & caput Cruci inclinet, quo erecto stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequatur usque ad finem. Dicens *Jesum Christum*, caput Cruci inclinet. Dicens *Et incarnatus est*, usque ad *Et Homo Factus est* inclusive dextrum genuflectat, tenens manus hinc inde super Altare extensas, & erectus capite, & reliquo corpore non extendat extra Altaris planum crus, neque accipiat anteriorem partem planetæ præ manibus, illam elevando, dum genuflectit. (Hic mo-

dus observari debet in omnibus genuflexionibus). Caput Cruci inclinet ad verbum *simul adoratur*, sed non ad illud sequens *Conglorificatur*. Dicens *Et vitam venturi sæculi*, signet seipsum signo Crucis, & ad verbum: *Amen*, jungat manus.

Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium celebrans osculetur Altare in medio, & junctis manibus ante pectus, ibidem, a manu sinistra Altaris ad dextram (ut dictum est supra) vertat se ad populum, & extendens, ac jungens manus, demissis oculis ad terram dicat: *Dominus Vobiscum*, & junctis manibus revertatur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens, & jungens manus, caputque Cruci inclinans, dicat *Oremus*: tum junctis, ut prius, manibus, stans ibidem in medio, dicat Offertorium.

Dicto Offertorio, discooperiat Calicem, dum adhuc est super corporale, velo tantum amoto, quod plicatum reponat extra Corporale prope tabellam secretarum in cornu Epistolæ, & manu dextera sistat eumdem Calicem ad cornu Epistolæ extra Corporale, sinistra interim posita super Al-

tare

tare ex parte Evangelii pariter extra Corporale, amotaque palla, tegente Hostiam eadem dextera, accipiat digitis pollice, indice, & medio ipsius manus patenam cum Hostia, & utraque manu eam tenens elevatam ante pectus, oculis ad Deum elevatis, & statim demissis in Hostiam, dicat: *Suscipe Sancte Pater &c.* Quibus finitis, & non antea, faciat signum Crucis cum Patena per lineas æquales, non per puncta, nec Corporale tangat, & deponat e Patena per anteriorem partem Hostiam, distantem ab extremitate Altaris, palmo circiter, & Patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus Corporale, quam exterso Calice omni ex parte cooperiat purificatorio

Si plures sint Hostiæ, idest particulæ consecrandæ in Calice, aut in Pyxide, Sacerdos dextera discooperiat eam, antequam accipiat patenam, imo antequam pallam amoveat a Patena, eamdemque collocet in medio Corporalis, inter locum Calicis, & Tabellam Secretarum, & ad eam offerendam, absque eo quod elevet, dirigat suam intentionem. Facta autem oblatione Hostiæ, ante-

quam accipiat Calicem, eamdem cooperiat, & ponat prope Tabellam Secretarum in medio super Corporale. Si particulæ consecrandæ sint super eamdem patenam, eo quod non sunt in magno numero, offerat una cum Hostia, qua deposita, ponat eas a parte Evangelii super Corporale, e regione majoris Hostiæ, aliquantulum ab ea distantes.

Antequam accedat ad cornu Epistolæ, faciat reverentiam Cruci manibus junctis, in quo cornu accipiat Calicem sinistra, & purificatorio extergat dextra capto, & statim posito purificatorio inter digitos sinistræ, qua tenens per nodum Calicem admotum prope ampullas, & parumper inclinatum, ne guttæ cadant super mappam Altaris, accipiat de manu Ministri ampullam vini, ex qua vinum in parva quantitate infundat in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producat dextera signum Crucis super ampullam aquæ, dicens interim: *Deus, qui humanæ substantiæ, &c.* & capta dextera manu ampulla, infundat duas, aut tres guttas aquæ in Calicem: ad verba: *Da nobis per hujus aquæ &c.* quæ dicat

cat usque ad finem, inclinet cruci caput, dicendo: *Jesu Christus*. Si guttæ vini, & aquæ dispersæ appareant intra Calicem, purificatorio abstergantur, & post abstersionem prædictam patenam secundum partem non coopertam cooperiat purificatorio duplicato.

Imposita aqua in Calice, deponat manu sinistra Calicem prope Corporale, deinde accedat ad medium Altaris, manibus junctis, & facta cruci reverentia, accipiat Calicem manu dextera, & stans ante medium Altaris, utraque manu tenens illum elevatum, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, ita ut summitas Calicis non excedat oculos, neque sit infra os, intentis ad Deum oculis offerat, dicens: *Offerimus tibi, Domine*, &c. qua Oratione dicta, & non prius, faciat signum Crucis cum Calice super Corporale, sed illud non tangat, & ipsum in medio post Hostiam collocet, ab ea distantem per spatium alterius Hostiæ, & palla cooperiat, interim tenens illum manu sinistra per pedis oram, quod observandum est, quoties cooperiendus, aut discooperiendus

eſt Calix, ad vitandum periculum revolutionis, aut manu, aut animula faciendæ.

Deinde junctis manibus ſuper Altare poſitis more ſolito, & ſupra dicto, aliquantulum inclinatus, dicat ſecreto: *In Spiritu humilitatis &c.* Poſtea erectus, elevans oculos, manuſque expandens, & ſtatim jungens ante pectus (quod ſemper facit, quando aliquid eſt benedicturus. Quam Rubricam ita commentatur Bauldry: *illa elevatio intelligitur manibus tantum, non de oculis, qui poſt conſecrationem ſunt potius defigendi in Hoſtiam conſecratam; & item illa junctio manuum intelligitur, quando utraque manus eſt libera, nec altera earum eſt occupata, cum eam tenet, ſeu Calicem, quod accidit paulo ante eorum conſecrationem: neque enim debet deponi hoſtia, vel Calix in eo caſu, ut manus jungantur ad benedictionem faciendam*) dicat *Veni Sanctificator, &c.* Dicens: *Et benedic*, ſignet manu dextera communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem, ſiniſtra poſita ſuper Altare. Signum Crucis fiat per duas lineas, non per quatuor puncta, & utraque linea æqualiter alta

fiat

fiat a Calice ad Hostiam, non deprimendo manum, & linea transversa ducatur prope oram anteriorem Pallæ, quæ media esse solet inter Calicem, & Hostiam, & ut servetur dicta æqualitas, prima linea inchoetur a medio Pallæ, & utraque Crucis linea non excedat mensuram palmi communis manus; & pars transversa Crucis fiat manu recta: interim sinistra teneatur extensa super Altare, nisi Corporale sit adeo magnum, ut gestus fieret inconcinnus, quia tunc teneatur super Corporale; post consecrationem vero omnino teneatur super illud.

Postquam benedixit oblata, antequam accedat ad cornu Epistolæ, caput Cruci inclinet, quæ reverentia opportune accidit, dum dicitur: *Tuo Sancto Nomini præparatum*. Tum junctis ante pectus manibus, accedat ad cornu Epistolæ, ubi stans, Ministro aquam fundente, lavet manus, idest extremitates digitorum pollicis, & indicis tantum, dicens Psalmum: *Lavabo inter innocentes*, cum *Gloria Patri*, *&c.* ad quem versum caput inclinet ad Crucem, licet sit in cornu Epistolæ, vel in medio Altaris. Ita

autem lente prosequatur versus Psalmi: *Lavabo*, ut eos cum abstersione finiat. Celebrans lotis manibus eas tergat, & illis, tradito manutergio Ministro, ante pectus junctis revertatur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, & statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicat secreto Orationem: *Suscipe Sancta Trinitas*, *&c.* Qua dicta, manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, osculetur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, defixisque ad terram oculis, a cornu Epistolæ vertat se ad populum, & versus eum extendens more solito, & jungens manus, dicat voce mediocri: *Orate Fratres*, & secreto prosequens: *ut meum, ac vestrum Sacrificium &c.* perficiat circulum, revertens junctis manibus ante pectus a cornu Evangelii ad medium Altaris. Non prius respondeat submisse *Amen*, quam Minister finierit totum *Suscipiat*. Deinde stans in medio manibus extensis eodem modo, quo supra, conversus ad librum, prope corporale aptatum, dicat sine *Oremus* Orationem, vel Oratio-

nes

nes ſecretas, & in fine primæ, & ultimæ orationis dicat concluſionem integram, ſicut in orationibus ante Epiſtolam, & cum dicuntur duæ, vel plures ſecretæ, ipſe in fine concluſionis primæ illarum reſpondeat ſibi ſecreto: *Amen*. Dicens: *Per Dominum noſtrum*, jungat manus. Dicens: *Jeſum Chriſtum*, caput inclinet Cruci.

Ubi pervenit Celebrans ad verba illa ultimæ ſecretæ: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, excluſive, ſtans in medio Altaris, depoſitis ſuper eo manibus hinc inde extenſis, dicat Præfationem. Dicens: *Surſum Corda*, elevet manus hinc inde extenſas, uſque ad pectus, ita ut palma unius manus reſpiciat alteram. Dicens: *Gratias agamus Domino*, jungat manus. Dicens: *Deo noſtro*, oculos elevet, & ſtatim Cruci caput inclinet. Reſponſo: *dignum, & juſtum eſt*, elevatis, & extenſis, ut prius, manibus, proſequatur Præfationem uſque ad verba: *Sanctus*. Ad verba *Sanctus*, uſque ad *Benedictus* excluſive, junctis ante pectus manibus, non pectus percutiat, nec manus ſuper Altare ponat, ſed aliquantu-

lum inclinatus voce mediocri, & inferiore tono ordinario prosequatur. Ad *Benedictus, qui venit, &c.* se erigat, & signet, a fronte ad pectus.

Finita præfatione, Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud aliquantulum elevet manus, oculisque elevatis ad Deum, & sine mora devote demissis dicat: *Te igitur clementissime Pater;* dicendo: *per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum*, jungat manus, & profunde inclinatus ponat illas super Altare. Ad verba: *supplices rogamus, ac petimus*, ponat manus hinc inde extensas super Altare, & osculetur in medio, dicens: *Uti accepta habeas & benedicas*, (Celebrans jungat semper manus antequam signet imposterum Oblata, nisi manus sinistra sit occupata, ut supra) deinde se erigat, & stet junctis manibus ante pectus. Dicens: hæc ✠ *dona*; *hæc* ✠ *munera*, *hæc Sancta* ✠ *Sacrificia*, dextera manu signet ter communiter supra Hostiam, & Calicem, sinistra posita super Altare. Deinde extensis manibus ante pectus, ut supra, prosequatur: *In primis quæ tibi offerimus &c.* Dicens: *una cum famulo*

tuo Papa nostro N., caput inclinet versus librum, & exprimat nomen Papæ regnantis: Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur. Dicens: *Et Antistite nostro N.* nominet Episcopum loci, in quo celebratur, non proprium Celebrantis, nisi in sua diœcesi; cujus si ignoret nomen proprium, dicat simpliciter: *Antistite nostro*. Si vero Episcopus loci, in quo Missa celebratur, vita functus sit prædicta verba omittantur. Venetiis post Nomen Patriarchæ immediate jungatur: *& Duce nostro*, expresso nomine: *& pro bono Statu Venetiarum*.

Ad *Memento, Domine*, *&c.* elevet manus, sed non oculos, non tangat Altare, aut Corporale, & statim junctas manus teneat usque ad pectus, vel faciem, non tamen eorum summitas mentum transeat, & tenens caput, ac oculos demissos, vel clausos, faciat commemorationem Christi Fidelium ad suam voluntatem, & renovet applicationem Sacrificii. Ne sit morosus circumstantibus, hanc commemorationem faciat ante Missam, & hoc loco generaliter unico contextu ipso-

nes cum propriis, dicto *Kyrie eleison* in medio Altaris, facta prius Cruci reverentia, redeat ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum, extensis, & junctis ante pectus manibus, & caput Cruci inclinans, dicat: *Oremus*, *Flectamus genua*, & illico manibus super Altare extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, genuflectat, & sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente *Levate*, manibus extensis, dicat Orationem, ut supra, & in conclusione eas jungat. Dum autem legit prophetias, teneat manus hinc inde positas super librum, vel Altare. Toties, quoties se convertit ad populum, caveat, ne caput inclinet versus populum, vel a tergo innitatur Altari.

Dictis orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel, ut placuerit librum tenens, legat Epistolam, & similiter stans eodem modo, prosequatur Graduale, *Alleluja*, & Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, dum Minister portat librum, redeat ad medium Altaris, ibi-

que

que ſtans junctis manibus ante pectus, non ſuper Altare, levatiſque ad Deum oculis, & ſtatim demiſſis, tum profunde ſe inclinans, dicat ſecreto: *Munda cor meum*, & *Jube Domine benedicere*, *Dominus ſit in corde meo*, *&c.* ut in ordinario. Quibus dictis, ad librum Miſſalis vadat, & locet illud ita, ut poſterior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, & non ad parietem, ſive ad partem ejus contra ſe directam, ubi ſtans verſus illum junctis manibus ante pectus, dicat: *Dominus Vobiſcum*. Deinde pollicis pulpa dexteræ manus ſigno Crucis ſignat, primo librum ſuper principio Evangelii, quod eſt lecturus, ſiniſtra poſita ſuper eum, poſtea ſeipſum in fronte, ore, & pectore, ſiniſtra poſita infra pectus, dicens: *Sequentia* vel *Initium Sancti Evangelii*. Tum junctis iterum manibus ante pectus, ſtans ut ſupra, proſequatur Evangelium uſque ad finem. Si legendo Evangelium occurrat genuflectere, vel inclinare, genuflectat, & ſe inclinet verſus librum. Quo finito Sacerdos parumper elevans librum, & inclinans aliquantulum caput, oſculetur il-

lum

lum in Evangelii principio dicens: *Per Evangelica dicta*, *&c.* Deinde eumdem super cussinum depositum locet juxta Corporale, ut facilius ex eo legere possit Offertorium, & ea, quæ dicenda sunt in medio. Dominica palmarum, & feriis tertia, & quarta, lecta Epistola cum Graduali ac Tractu Sacerdos accedat ad medium, donec per Ministrum transferatur liber, nihil interim dicens, sed ubi fuerit liber translatus, convertens se ad cornu Evangelii, non signando seipsum, neque librum, immediate incipiat: *Passio Domini nostri*, *&c.* & continuo prosequatur verba Evangelii, inclinans se, cum profertur sanctum nomen *Jesu*, versus librum, & cum perventus fuerit ad illa verba: *Jesus autem exclamans voce magna emisit Spiritum*, genuflectat utroque genu versus librum junctis manibus, ac capite humiliter declinato, ubi per spatium *Pater noster* sub silentio contemplato mysterio, facto prius signo, manu super Altare, ipse surgat, & eodem modo prosequatur legendo reliqua usque ad illam partem, quæ dicitur in tono

Evangelii. Antequam legat partem illam, quæ in tono Evangelii dicitur, accedens ad medium Altaris more solito inclinatus, ac manibus junctis ante pectus dicat: *Munda cor meum*, *&c.* & *Jube, Domine, benedicere*. *Dominus sit*, *&c.* quibus dictis rursum ad librum rediens non signando librum, neque seipsum, quæ sequuntur in tono Evangelii prosequatur usque in finem.

Dicto Evangelio, si dicendum sit Symbolum, stans in medio Altaris versus Crucem, elevans, & extendens manus, non vero caput, aut oculos, incipiat *Credo*: dicens *in unum Deum*, jungat manus, & caput Cruci inclinet; quo erecto stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequatur usque ad finem. Dicens *Jesum Christum*, caput Cruci inclinet. Dicens *Et incarnatus est*, usque ad *Et Homo Factus est* inclusive dextrum genuflectat, tenens manus hinc inde super Altare extensas, & erectus capite, & reliquo corpore non extendat extra Altaris planum crus, neque accipiat anteriorem partem planetæ præ manibus, illam elevando, dum genuflectit. (Hic mo-

dus observari debet in omnibus genuflexionibus). Caput Cruci inclinet ad verbum *simul adoratur*, sed non ad illud sequens *Conglorificatur*. Dicens *Et vitam venturi sæculi*, signet seipsum signo Crucis, & ad verbum: *Amen*, jungat manus.

Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium celebrans osculetur Altare in medio, & junctis manibus ante pectus, ibidem, a manu sinistra Altaris ad dextram (ut dictum est supra) vertat se ad populum, & extendens, ac jungens manus, demissis oculis ad terram dicat: *Dominus Vobiscum*, & junctis manibus revertatur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens, & jungens manus, caputque Cruci inclinans, dicat *Oremus*: tum junctis, ut prius, manibus, stans ibidem in medio, dicat Offertorium.

Dicto Offertorio, discooperiat Calicem, dum adhuc est super corporale, velo tantum amoto, quod plicatum reponat extra Corporale prope tabellam secretarum in cornu Epistolæ, & manu dextera sistat eumdem Calicem ad cornu Epistolæ extra Corporale, sinistra interim posita super Al-

tare

tare ex parte Evangelii pariter extra Corporale, amotaque palla, tegente Hostiam eadem dextera, accipiat digitis pollice, indice, & medio ipsius manus patenam cum Hostia, & utraque manu eam tenens elevatam ante pectus, oculis ad Deum elevatis, & statim demissis in Hostiam, dicat: *Suscipe Sancte Pater &c.* Quibus finitis, & non antea, faciat signum Crucis cum Patena per lineas æquales, non per puncta, nec Corporale tangat, & deponat e Patena per anteriorem partem Hostiam, distantem ab extremitate Altaris, palmo circiter, & Patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus Corporale, quam exterso Calice omni ex parte cooperiat purificatorio

Si plures sint Hostiæ, ideft particulæ consecrandæ in Calice, aut in Pyxide, Sacerdos dextera discooperiat eam, antequam accipiat patenam, imo antequam pallam amoveat a Patena, eamdemque collocet in medio Corporalis, inter locum Calicis, & Tabellam Secretarum, & ad eam offerendam, absque eo quod elevet, dirigat suam intentionem. Facta autem oblatione Hostiæ, ante-

quam accipiat Calicem, eamdem cooperiat, & ponat prope Tabellam Secretarum in medio super Corporale. Si particulæ consecrandæ sint super eamdem patenam, eo quod non sunt in magno numero, offerat una cum Hostia, qua deposita, ponat eas a parte Evangelii super Corporale, e regione majoris Hostiæ, aliquantulum ab ea distantes.

Antequam accedat ad cornu Epistolæ, faciat reverentiam Cruci manibus junctis, in quo cornu accipiat Calicem sinistra, & purificatorio extergat dextra capto, & statim posito purificatorio inter digitos sinistræ, qua tenens per nodum Calicem admotum prope ampullas, & parumper inclinatum, ne guttæ cadant super mappam Altaris, accipiat de manu Ministri ampullam vini, ex qua vinum in parva quantitate infundat in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producat dextera signum Crucis super ampullam aquæ, dicens interim: *Deus, qui humanæ substantiæ, &c.* & capta dextera manu ampulla, infundat duas, aut tres guttas aquæ in Calicem: ad verba: *Da nobis per hujus aquæ &c.* quæ dicat

cat uſque ad finem, inclinet cruci caput, dicendo: *Jeſu Chriſtus*. Si guttæ vini, & aquæ diſperſæ appareant intra Calicem, purificatorio abſtergantur,& poſt abſterſionem prædictam patenam ſecundum partem non coopertam cooperiat purificatorio duplicato.

Impoſita aqua in Calice, deponat manu ſiniſtra Calicem prope Corporale, deinde accedat ad medium Altaris, manibus junctis, & facta cruci reverentia, accipiat Calicem manu dextera, & ſtans ante medium Altaris, utraque manu tenens illum elevatum, videlicet ſiniſtra pedem, dextra nodum infra cuppam, ita ut ſummitas Calicis non excedat oculos, neque ſit infra os, intentis ad Deum oculis offerat, dicens: *Offerimus tibi, Domine*, *&c.* qua Oratione dicta, & non prius, faciat ſignum Crucis cum Calice ſuper Corporale, ſed illud non tangat, & ipſum in medio poſt Hoſtiam collocet, ab ea diſtantem per ſpatium alterius Hoſtiæ, & palla cooperiat, interim tenens illum manu ſiniſtra per pedis oram, quod obſervandum eſt, quoties cooperiendus, aut diſcooperiendus

est Calix, ad vitandum periculum revolutionis, aut manu, aut animula faciendæ.

Deinde junctis manibus super Altare positis more solito, & supra dicto, aliquantulum inclinatus, dicat secreto: *In Spiritu humilitatis &c.* Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, & statim jungens ante pectus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus. Quam Rubricam ita commentatur Bauldry: *illa elevatio intelligitur manibus tantum, non de oculis, qui post consecrationem sunt potius defigendi in Hostiam consecratam; & item illa junctio manuum intelligitur, quando utraque manus est libera, nec altera earum est occupata, cum eam tenet, seu Calicem, quod accidit paulo ante eorum consecrationem: neque enim debet deponi hostia, vel Calix in eo casu, ut manus jungantur ad benedictionem faciendam*) dicat *Veni Sanctificator, &c.* Dicens: *Et benedic*, signet manu dextera communiter super Hostiam, & Calicem, sinistra posita super Altare. Signum Crucis fiat per duas lineas, non per quatuor puncta, & utraque linea æqualiter alta

fiat

fiat a Calice ad Hostiam, non deprimendo manum; & linea transversa ducatur prope oram anteriorem Pallæ, quæ media esse solet inter Calicem, & Hostiam, & ut servetur dicta æqualitas, prima linea inchoetur a medio Pallæ, & utraque Crucis linea non excedat mensuram palmi communis manus, & pars transversa Crucis fiat manu recta: interim sinistra teneatur extensa super Altare, nisi Corporale sit adeo magnum, ut gestus fieret inconcinnus, quia tunc teneatur super Corporale; post consecrationem vero omnino teneatur super illud.

Postquam benedixit oblata, antequam accedat ad cornu Epistolæ, caput Cruci inclinet, quæ reverentia opportune accidit, dum dicitur: *Tuo Sancto Nomini præparatum*. Tum junctis ante pectus manibus, accedat ad cornu Epistolæ, ubi stans, Ministro aquam fundente, lavet manus, idest extremitates digitorum pollicis, & indicis tantum, dicens Psalmum: *Lavabo inter innocentes*, cum *Gloria Patri*, *&c.* ad quem versum caput inclinet ad Crucem, licet sit in cornu Epistolæ, vel in medio Altaris. Ita

autem lente prosequatur versus Psalmi: *Lavabo*, ut eos cum abstersione finiat. Celebrans lotis manibus eas tergat, & illis, tradito manutergio Ministro, ante pectus junctis revertatur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, & statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicat secreto Orationem: *Suscipe Sancta Trinitas*, *&c.* Qua dicta, manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, osculetur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, defixisque ad terram oculis, a cornu Epistolæ vertat se ad populum, & versus eum extendens more solito, & jungens manus, dicat voce mediocri: *Orate Fratres*, & secreto prosequens: *ut meum*, *ac vestrum Sacrificium &c.* perficiat circulum, revertens junctis manibus ante pectus a cornu Evangelii ad medium Altaris. Non prius respondeat submisse *Amen*, quam Minister finierit totum *Suscipiat*. Deinde stans in medio manibus extensis eodem modo, quo supra, conversus ad librum, prope corporale aptatum, dicat sine *Oremus* Orationem, vel Orationes

nes

nes secretas, & in fine primæ, & ultimæ orationis dicat conclusionem integram, sicut in orationibus ante Epistolam, & cum dicuntur duæ, vel plures secretæ, ipse in fine conclusionis primæ illarum respondeat sibi secreto: *Amen*. Dicens: *Per Dominum nostrum*, jungat manus. Dicens: *Jesum Christum*, caput inclinet Cruci.

Ubi pervenit Celebrans ad verba illa ultimæ secretæ: *Per omnia sæcula sæculorum*, exclusive, stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicat Præfationem. Dicens: *Sursum Corda*, elevet manus hinc inde extensas, usque ad pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram. Dicens: *Gratias agamus Domino*, jungat manus. Dicens: *Deo nostro*, oculos elevet, & statim Cruci caput inclinet. Responso: *dignum, & justum est*, elevatis, & extensis, ut prius, manibus, prosequatur Præfationem usque ad verba: *Sanctus*. Ad verba *Sanctus*, usque ad *Benedictus* exclusive, junctis ante pectus manibus, non pectus percutiat, nec manus super Altare ponat, sed aliquantu-

lum inclinatus voce mediocri, & inferiore tono ordinario prosequatur. Ad *Benedictus, qui venit, &c.* se erigat, & signet, a fronte ad pectus.

Finita præfatione, Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud aliquantulum elevet manus, oculisque elevatis ad Deum, & sine mora devote demissis dicat: *Te igitur clementissime Pater;* dicendo: *per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum*, jungat manus, & profunde inclinatus ponat illas super Altare. Ad verba: *supplices rogamus, ac petimus*, ponat manus hinc inde extensas super Altare, & osculetur in medio, dicens: *Uti accepta habeas & benedicas*, (Celebrans jungat semper manus antequam signet imposterum Oblata, nisi manus sinistra sit occupata, ut supra) deinde se erigat, & stet junctis manibus ante pectus. Dicens: hæc ✠ *dona*; *hæc* ✠ *munera*, *hæc Sancta* ✠ *Sacrificia*, dextera manu signet ter communiter supra Hostiam, & Calicem, sinistra posita super Altare. Deinde extensis manibus ante pectus, ut supra, prosequatur: *In primis quæ tibi offerimus &c.* Dicens: *una cum famulo*

tuo Papa nostro N., caput inclinet versus librum, & exprimat nomen Papæ regnantis: Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur. Dicens: *Et Antistite nostro N.* nominet Episcopum loci, in quo celebratur, non proprium Celebrantis, nisi in sua diœcesi; cujus si ignoret nomen proprium, dicat simpliciter: *Antistite nostro*. Si vero Episcopus loci, in quo Missa celebratur, vita functus sit prædicta verba omittantur. Venetiis post Nomen Patriarchæ immediate jungatur: *& Duce nostro*, expresso nomine: *& pro bono Statu Venetiarum*.

Ad *Memento, Domine*, *&c.* elevet manus, sed non oculos, non tangat Altare, aut Corporale, & statim junctas manus teneat usque ad pectus, vel faciem, non tamen eorum summitas mentum transeat, & tenens caput, ac oculos demissos, vel clausos, faciat commemorationem Christi Fidelium ad suam voluntatem, & renovet applicationem Sacrificii. Ne sit morosus circumstantibus, hanc commemorationem faciat ante Missam, & hoc loco generaliter unico contextu ipso-

rum commemorationem vivorum agat, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa, & hoc faciat interna animi cogitatione per spatium unius *Pater noster*. Hæc verba: *Memento Domine,&c.* & reliqua secreta, pronunciet voce secreta. Meminisse debet etiam celebrans, se participare de valore Missæ: & quidem in majori quantitate, quam illum, qui celebrare eumdem jubet, ideoque sibi providere non negligat.

Commemorationem vivorum facta, demissis, & extensis, ut prius, manibus, continuet: *Et omnium circumstantium, &c.* Similiter stans prosequatur: *Communicantes*. Dicens: *Domini nostri Jesu Christi* caput Cruci inclinet. In conclusione, quando dicit: *Per eumdem*, jungat manus. Ad *Hanc igitur &c.* expandens manus super oblata simul, ita ut palmæ sint apertæ versus, ut supra, Calicem, & Hostiam, quas teneat elevatas duobus quasi digitis super Pallam, habens pollicem dexterum transversum super sinistrum in modum Crucis, ita tamen, ut pollices sint super reliquos digitos extensos,

tenſos, & ſimul junctos, quorum extremitates perveniant ad medium pallæ. Ad illa verba: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, manus non disjungat, ſed ſolum claudat, & retrahat ante pectus. Proſequens

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, & dicens: *bene ✠ dictam, adſcri ✠ ptam, ra ✠ tam*, communiter ſignet ter ſuper Hoſtiam, & Calicem ſimul: deinde dicens: *ut nobis Corpus*, ſeparatim ſignet ſemel ſuper Hoſtiam tantum: & dicens: *& Sanguis*, ſemel ſuper Calicem tantum: deinde elevans, & jungens manus ante pectus, proſequatur: *Fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & inclinans caput Cruci, extergat, ſi opus fuerit, pollices, & indices ſuper extremitates corporalis, & dicat ſecreto, ut prius: *Qui pridie quam pateretur*. Dicens: *accepit panem*, indice ſiniſtro oram Hoſtiæ aliquantulum premat, ut eam facile dextera capere valeat, (idem obſervans quoties Hoſtiam ſumere debeat). Dicens: *in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas*, eam accipiat, etiam ſiniſtra, eamque paululum elevatam a corporali erectam

non

non quasi jacentem teneat, ita tamen, ut a populo non videatur, ne ante consecrationem adoretur: dum autem tenet sic Hostiam inter pollices, & indices, reliquos digitos teneat extensos, & simul junctos. Elevans ad Deum oculos, ac statim demittens, dicat: *Et elevatis oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, caputque aliquantulum inclinans dicat: *Tibi gratias agens*, & tenens Hostiam inter pollicem, & indicem sinistræ manus, dextera producat signum Crucis super eam, dicens: *Bene ✠ dixit, fregit, &c.*

Si Pyxis sit retro post Calicem, antequam capiat Hostiam, retrahat illam ad latus ipsius Calicis versus partem Epistolæ, & dextera discooperiat, ut propius verba consecrationis proferat etiam super eam. Cum autem finierit supradicta verba, proferens verba consecrationis stet capite inclinato, & cubitis super Altare positis, manibus vero corporale non tangentibus ob decentiam, cum ibi poni debeat Hostia consecrata, & caveat, ne afflet, aut ne barba, vel ore contingat Hostiam, vel Calicem, neque in eumdem barbam im-

mit-

mittat, neque moveat caput ad singula verba, nec signet cum eo Hostiam, neque eam, aut Calicem post utriusque consecrationem osculetur, neque verba magno conatu, & aspiratione proferat, sed unico contextu, & nulla interposita mora inter singula verba, eaque distincte, reverenter, & ita secreto proferat, ut a nemine audiatur; pares retineat pedes super suppedaneum Altaris, dextero ultra sinistrum, reverentiæ causa, nullatenus remoto, aut reflexo. Quibus prolatis tenens Hostiam inter pollices, & indices prædictos super altare, reliquis digitis manuum extensis, & simul junctis, eam adoret unico genu, (quod fiat, & in sequentibus genuflexionibus) cubitis extra Altare positis, & manibus tenentibus Hostiam super Corporale positis, prope extremitatem Altaris, ut commodius genuflectat usque ad terram. Tunc se erigens elevet in altum Hostiam, ut videri, & adorari possit ab omnibus, & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis faciat) populo reverenter ostendat adorandam, & mox sola manu dextera reverenter ipsam deponat super

Cor-

Corporale, finiſtra poſita ſuper eodem, in eodem loco, unde eam levavit, & deinceps pollices, & indices non disjungat, niſi quando Hoſtiam conſecratam tangere, aut tractare debeat, uſque ad ablutionem digitorum incluſive poſt Communionem. Tam Hoſtiam, quam Calicem elevet perpendiculariter, hoc eſt recta linea, non ſupra caput, nec Hoſtiam ſupra Calicem, nec Calicem ſuper Hoſtiam, nec nimis lente, nec nimis properanter.

Repoſita Hoſtia conſecrata ſuper Corporale, genuflexus ipſam veneretur. Tunc aſſurectus antequam detegat Calicem, cooperiat Pyxidem, vel aliud vas Hoſtiarum, proprio operculo, vel patena, aut palla, & retro poſt Calicem ſuo loco reponat. Adorato Sacramento ſurgat, & diſcooperiens Calicem, pallam capiat digitis indice, & medio, & ipſius extremitatem admoveat velo Calicis, ut facilius eam capere poſſit. In Calicem, ſi opus ſit extergat digitos in aere, non ad labium ipſius fricando, quod ſemper faciat, ſi aliquod fragmentum digitis adhæreat. Et ſtans erectus, dicat: *Simili modo poſtquam*

cœna-

tynatum est, & ambabus manibus ſcilicet ſiniſtra infra nodum, dextera ipſum nodum tenens accipiat Calicem, & aliquantulum elevans, ac ſtatim deponens dicat: *Accipiens & hunc præclarum*, *&c.* Dicens: *item tibi gratias agens*, caput inclinet: dicens *Benedixit*, ſiniſtra Calicem per nodum tenens, dextera ſignet ſigno Crucis ſuper eum, & proſequens: *Deditque Diſcipulis &c.* ambabus manibus teneat Calicem aliquantulum elevatum, videlicet tribus ultimis digitis manus ſiniſtræ pedem, dextera nodum, cubitis ſuper Altare poſitis, & capite inclinato, ut diximus ad conſecrationem Hoſtiæ, proferat attente, continue, & ſecreto verba conſecrationis Sanguinis: *Hic eſt enim &c.* Quibus dictis, reponat Calicem ſuper Corporale, & dicens ſecreto: *Hæc quotieſcumque feceritis &c.* genuflexus Sanguinem reverenter adoret. Tum ſe erigat, & accipiens Calicem diſcoopertum cum Sanguine, ambabus manibus, ut prius, elevet eum, & erectum, quantum commode poſſit, oſtendat populo adorandum: mox ipſumreponat reverenter ſuper Corporale in locum pri-

priſtinum, & manu dextera Palla cooperiat eodem modo, quo diſcooperuit, ac genuflexus Sacramentum veneretur.

Repoſito Calice, & adorato Sacramento; Sacerdos ſtans poſt factam genuflexionem ante Altare extenſis manibus modo ordinario, ut ſupra, ante pectus, dicat ſecreto: *Unde, & memores &c.* Dicens: *de tuis donis, ac datis*, jungat manus ante pectus, non pollice dextero ſuper ſiniſtrum poſito, ſed junctis pollicibus, & indicibus inter ſe. Dicens: *Hoſtiam* ✠ *puram*, *Hoſtiam* ✠ *Sanctam*, *Hoſtiam* ✠ *immaculatam*, manu ſiniſtra poſita ſuper Corporale, dextera ſignet ter communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem, & ſemel ſuper Hoſtiam tantum, & ſemel ſuper Calicem tantum, dicens: *Panem* ✠ *Sanctum vitæ æternæ*, *& Calicem* ✠ *ſalutis perpetuæ*. Deinde ſtans ut prius extenſis manibus proſequatur: *Supra quæ propitio*. Dicendo: *Supplices te rogamus*, inclinet ſe profunde ante medium Altaris, manibus junctis ſuper illo poſitis, non vero teneat manus totaliter ſuper Corporale, ſed ſolum, parvis digitis frontem Altaris tangen-

tibus,

tibus, extremitates annularium quod in sequentibus observandum. Dicens: *Ex hac altaris participatione*, osculetur altare in medio manibus hinc inde super Corporale positis. Dicens: *Sacrosanctum Filii tui &c.* jungat manus, & dextera signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, sinistra super corporale posita dicat: *Corpus* ✠ *& Sanguinem* ✠ *sumpserimus*, & dicendo: *Omni benedictione cælesti*, seipsum signet a fronte ad pectus digitis medio, annulari, & auriculari tantum extensis, & simul junctis, sinistra infra pectus posita, & prosequatur *Et gratia repleamur*, advertens, ne pollex, & index tangant planetam. Dicens: *per eundem Christum &c.* jungat manus absque capitis inclinatione.

Dicens: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum &c.* extensis, & junctis manibus ante pectus, & usque ad faciem elevatis, sed infra mentum, & demisso capite, ac intentis oculis ad Sacramentum super altare, pauset post verba: *Somno pacis*, faciens commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum

est

eſt de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, ſtans, ut prius, extenſis manibus proſequatur: *Ipſis, Domine, &c.* & in fine ad *Per eumdem Chriſtum*, jungat manus, & caput inclinet.

Deinde erectus dicat voce mediocri: *Nobis quoque peccatoribus*, dextera manu pectus ſibi percutiens, ſiniſtra poſita ſuper Corporale (percuſſio pectoris poſt conſecrationem fiat ſolum tribus digitis inferioribus ſimul junctis, & ſemiextenſis, & caveatur, ne pollex, & index tangant planetam: ita ad *Agnus Dei, & Domine, non ſum dignus*), & dictis prædictis verbis ſtans manibus extenſis, ut prius, proſequatur ſecreto: *Famulis tuis, &c.* Dicens: *Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem hæc omnia, Domine, &c.* jungat manus ante pectus. Deinde poſita ſiniſtra ſuper Corporale, dextera ter ſignans communiter ſuper Hoſtiam, & Calicem dicat: *Sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, & præſta nobis*, poſtea diſcooperiat manu dextera Calicem, tenens ejus pedem digitis inferioribus ſiniſtræ, ut vitetur omne revolutionis peri-

periculum, & extensis hinc inde super corporale manibus, pollicibus, & indicibus vero junctis genuflectat, adorans Sacramentum.

Tum se erigat, & reverenter accipiat Hostiam aliquantulum infra medium dexteræ partis, inter pollicem, & indicem dexteræ manus, & cum ea super Calicem, quem manu sinistra teneat circa nodum infra cuppam, signet non tangens Calicis labia ter a labio ad labium dicens: *Per ✠ ipsum, & cum ✠ ipso, & in ✠ ipso*, & similiter cum Hostia signet in eadem proportione, & altitudine sicut cruces, quæ fiunt a labio ad labium, bis inter Calicem, & pectus, incipiens a labio Calicis, & dicat: *Et tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti*. Deinde statim non in gyrum, sed recta linea ducat Hostiam, & tenens eam manu dextera super Calicem, & sinistra tenens Calicis nodum, elevet non ultra quatuor digitos eum simul cum Hostia a corporali dicens: *Omnis honor, & gloria*, & statim utrumque deponens, Hostiam collocet super Corporale loco suo, & si opus sit, digitos extergat, ut supra (certe convenit, ut semper Celebrans extergat digi-

tos in medium Calicis ſuſpenſos, non ad labium ipſius fricans, poſtquam Hoſtiam ſacram tetigit) & pollices, & indices, ut prius jungens, Calicem palla cooperiat digitis indice, & medio capta, & genuflexus Sacramentum adoret.

Celebrans, cooperto Calice, adoratoque Sacramento, erigat ſe, & manibus extenſis hinc inde ſuper altare, intra corporale, poſitis, dicat: *Per omnia ſæcula ſæculorum*. Dicens: *Oremus*, jungat manus Sacramento caput inclinans, & erectus tenens manus junctas ante pectus proſequatur: *Præceptis ſalutaribus &c.* Incipiens: *Pater noſter*, extendat manus more ſolito, & ſtans erectus in medio Altaris, oculis ad Sacramentum intentis, proſequatur uſque ad *Et ne nos inducas in tentationem*, incluſive. Reſponſo a Miniſtro: *Sed libera nos a malo*, & a Celebrante ſubmiſſa voce: *Amen*, extrahat Patenam, quæ eſt ſubtus Corporale, medio digito dexteræ ejus concavo applicato, & eam extergens, ſiniſtram non adhibeat, purificatorio, quod poſt exterſam Patenam relinquatur in cornu Epiſtolæ prope

pe Corporale, aliquantulum vero remotum, ut inter ipſum, & corporale collocari poſſit Calix poſt ablutionem digitorum. Accipiat, & teneat poſt exterſionem Patenam inter indicem, & medium digitos elevatam, non jacentem, ita tamen, ut tangat mappam Altaris extra corporale, & manus tenens patenam, non adhæreat mappæ, ſed ſit elevata deſuper Patenam, ſiniſtra ſuper corporale poſita, dicendo ſecreto: *Libera nos quæſumus, &c.*

Antequam Celebrans dicat; *Da propitius pacem &c.* ponat manum ſiniſtram infra pectus, & elevet manu dextera Patenam de Altari, & ſeipſum cum ea ſignet a fronte ad pectus, dicens: *Da propitius pacem in diebus noſtris*, deinde patenam ipſam in parte ſuperiori, & interiori oſculetur, nec poſt oſculum eam iterum abſtergat, & proſequens *ut ope miſericordiæ tuæ &c.* ſubmittat patenam Hoſtiæ, quam indice ſiniſtro accommodet ex parte ſuperiori paululum extra concavum Patenæ, quæ ponatur in medio corporalis, ita ut ejus pars ſuperior ſit elevata ſuper pedem Calicis. Poſtea diſcooperiat

manu

manu dextera Calicem, & genuflexus Sacramentum adoret: tunc se erigens accipiat Hostiam inter indicem, & pollicem dexteræ manus, & cum illis, ac pollice, & indice sinistræ manus eam super Calicem tenens reverenter frangat per medium, incipiens a parte superiori ipsius, dicendo: *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum*, & statim his dictis, mediam partem quam inter pollicem, & indicem dexteræ manus tenet, ponat super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangat a parte inferiori cum pollice, & indice dexteræ manus particulam, prosequens: *qui tecum vivit, & regnat*, & eam particulam inter ipsos dexteræ manus pollicem, & indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungat mediæ super Patenam positæ ita, ut una non sit tota super aliam; sed illa, quæ est a sinistra celebrantis, sit tantillum super aliam, adeo ut semper ambæ efficiant figuram rotundam, (hoc idem observandum, cum accipiat ambas partes Hostiæ ad verba: *Domine, non sum dignus*), & interim dicens *In unitate Spiritus*

Sancti Deus, & particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retineat, intelligibili voce dicat: *Per omia sæcula sæculorum*. Responso: *Amen*, & cum ipsa particula signans ter a labio ad labium Calicis sine tactu illius, dicat: *Pax ✠ Domini sit ✠ semper vobis ✠ cum*. Responso per Ministrum: *Et cum Spiritu tuo*, particulam, quam dextera manu tenet, immittat in Calicem, dicens secreto: *Hæc commixtio &c.* Deinde hac oratione dicta, pollices, & indices super medium Calicis aliquantulum tergat, quibus excussis, & junctis, Calicem cooperiat, & genuflexus manibus hinc inde super Corporale positis Sacramentum adoret, & statim assurrectus stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato dicat intelligibili voce: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, & dexteræ tribus inferioribus digitis percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicat *Miserere nobis*, advertens, ne extendat dexteram ultra latitudinem Corporalis, & deinde non jungat manus, sed iterum per-

cutiat sibi pectus, dicens secundo: *Miserere nobis*, quod & tertio faciat, dicendo *Dona nobis pacem*.

Tunc manibus junctis super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus, sed non profunde, dicat secrete tres solitas orationes, ideft: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis &c. Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi &c. Perceptio corporis tui, &c.* Quibus orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adoret, & se erig ns dicat secreto: *Panem cœlestem accipiam, &c.* quo dicto vel dum profert hæc verba, parum inclinatus dextera manu accipiat de Patena reverenter ambas partes Hostiæ, & collocet illam, quæ est a parte sinistra celebrantis, tantillum super aliam, ut efficiant figuram rotundam, inter indicem, & pollicem, sinistræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem, & medium digitos supponat, & eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super patenam inter pectus, & Calicem, stans pariter parum inclinatus; tribus inferioribus digitis dexteræ percutiat tribus vicibus pectus suum, & ad singulas percussiones, voce mediocri, & de-

devota dicat: *Domine, non ſum dignus*, & ſecr to proſequatur: *ut intres*, *&c.* Advertat in dicendo: *Domine, non ſum dignus*, quod nullatenus genuflectat, nec pedem incurvet, neque brachium, aut cubitum ſuper Altare ſuſtineat, neque ipſa dextera poſt ſin; ulas percuſſiones tangat Altare, aut Corporale, neque teneat Hoſtiam elevatam ad latus, ut a populo videatur, & adoretur, neque corpus intorqueatur, ſed ſufficit, ſi Patenam teneat elevatam ad altitudinem nodi Calicis., & parum inclinatus maneat. Quibus verbis tertio dictis accipiat ambas partes prædictas Hoſtiæ inter pollicem, & indicem dexteræ manus, & cum illa ſupra Patenam ſignet erectus ſeipſum ſigno crucis, non movens Patenam, ſed Hoſtiam tantum, ita tamen ut Hoſtia altitudine crucis medium non egrediatur, & Crucis latitudine pariter non egrediatur limites Patenæ, dicens: *Corpus Domini noſtri*, *&c.* Ad nomen *Jeſu*, ante utramque ſumptionem, caput non inclinet, q ia habet præ manibus Sacramentum. Quibus dictis ſe inclinet cubitis ſuper altare poſitis, reverenter eaſdem am-

bas partes sumat, quibus sumptis, deponat patenam super corporale, ita ut ejus extremitas pede Calicis sustentetur, & erigens se, junctis pollicibus, & indicibus, ambas quoque manus ante faciem jungat infra mentum, & caput inclinet, sicut dictum est ad utrumque Memento, & demissis oculis aliquantulum quiescat in meditatione SS. Sacramenti: deinde depositis manibus dicat secreto: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & interim discooperiat Calicem, genuflectat, surgat, accipiat manu dextera Patenam inter indicem, & medium, inspiciat Corporale, & ab eodem colligat fragmenta cum patena, non revolvendo corporale super ipsam, nec movendo Calicem a suo loco. Deinde manu sinistra inter indicem, & medium sumat patenam, non in ea parte, quæ collegit fragmenta, sed prope dexteram, & elevatam super Calicem, non rectam, sed jacentem, ne fragmenta decidant, admoveat ori Calicis eam partem, quæ fragmenta collegit, & pollice, & indice manus dexteræ tantum fragmenta in Calicem demittat, non mu-

mutando Patenam de manu ſiniſtra in dexteram,& caveat,ne Patena Calicem pulſet, neque eam ſuper ipſum revolvat, & poſtea ipſos digitos extergat in medio Calicis non fricans ad ejus oram, & hoc diligenter faciat, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

Poſt exterſionem Patenæ, junctis pollicibus, & indicibus, Calicem dextera manu inter indicem, & medium per nodum accipiat, & Patenam ſiniſtra poſita ſuper Corporale, quam non ſupponat Calici, niſi tunc quando Sanguinem ſumat, dicens: *Calicem ſalutaris, &c.* quo dicto ſignet ſigno crucis cum Calice; dicens: *Sanguis Domini noſtri, &c.* & manu ſiniſtra ſupponens patenam mento ſub Calice, ſtans reverenter ſumat totum Sanguinem cum particula in Calice poſita unico hauſtu, vel ter Calicem ori admoveat, ſed hoc laudabile non eſt, nec labia Calicis, nec ſua, nec ipſos digitos lambat, ut inepte quidam, nam, ſi quid remanſerit, purificatione, & ablutione ſumat. Sumpto Sanguine, tum Calicem, tum Patenam deponat, manus tamen ab iis non amoveat, interim dicens orationem:

Quod ore sumpsimus Domine &c. qua dicta stans in medio Altaris manu dextera porrigat Calicem Ministro in cornu Epistolæ extra corporale, sed super Mensam Altaris, (hoc observandum ad purificationem, & ablutionem, nisi forte minister sit nimis exiguæ staturæ; quia tunc etiam extra ipsum licet porrigere) sed mensam non tangat, sinistra tenente Patenam posita super corporale. Pro purificatione accipiat tantum vini, quantum fuerit præconsecratum, alioquin Sacerdos illud circumagat intra Calicem, ut eluantur, & absumantur species Sanguinis vino ex illius partibus, quas sacrosanctus Sanguis attigit. Dum Celebrans se purificat: adhuc teneat Patenam sub Calice, sicut ad sumptionem Sanguinis. Sumpta purificatione, accipiat Calicem per cuppam ambabus manibus tenens super Calicem pollices, & indices conjunctos, & facta Cruci reverentia, aliquantulum procedat versus cornu Epistolæ, & elevet Calicem super Mensam; extra vero Corporale, ut dixi, & accipiat a Ministro vinum, & aquam, insumens minus vini, quam aquæ, & abluat prædictos digitos pol-

pollices, & indices, cavens ne labia Calicis, & os suum digitis expurget. Post hanc ablutionem collocet Calicem inter Corporale, & Purificatorium, & prius dexteram excussis digitis, amoveat a Calice, & sumpto Purificatorio amoveat, & sinistram, cui statim Purificatorium supponat, & hic ritus est maxime accommodatus, ne cadentes guttæ Mappam, aut Corporale commaculent, quod omnino cavendum. Sed in medium reversus, facta iterum reverentia, purificatorio digitos abstergens interim dicat: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi, &c.* qua dicta supponens sinistra Calici purificatorium, & dextera per nodum accipiens Calicem, ablutionem sumat, sicut & purificatio sumenda est per eamdem partem Calicis, per quam Sanguis Christi haustus est. Ablutione autem sumpta, purificatorio extergat oris sui labia, postea sinistra tenens per nodum Calicem, manu dextera eadem purificatorio extergat Calicem intra cuppam, quo exterso, & deposito super Corporale, superimponat Purificatorium, Patenam desuper, & super Patenam

parvam pallam eodem tempore, illam sinistra, hanc dextera: frustra igitur aliqui ponunt pallam super Patenam ante ablutionem digitorum. Deinde Calicem ponat versus cornu Evangelii, vel Epistolæ extra corporale, & ambabus manibus plicet Corporale, quo plicato, sinistra accipiat bursam, in qua dextera recondat Corporale, quo recondito, Calicem velo ita tegat, ut a parte anteriori, saltem totum cooperiat, eique Bursam super imponat, cujus pars aperta respiciat ipsum Celebrantem, quo facto accipiat Calicem sinistra per nodum ipsius, & dextera desuper bursam, & collocet in medio Altaris, velo non revoluto, ut initio Missæ.

Si Sacerdos eodem die celebraturus sit plures Missas, ut in die Nativitatis Domini, post sumptionem Sanguinis, deposito Calice super corporale, ipsum non purificet vino, neque aqua, nec purificatorio abstergat, sed ablutionem digitorum faciat in aliquo vase mundo, ad hoc in Altari præparato, in prima, & secunda Missa: in tertia vero sumat purificationem, & postea si velit, ex vase ablutionis

tionis infundat in Calicem ablutionem, qua infusa per se abluat more solito super Calicem pollices,& indices, & postea sumat, ut supra. Si particula remaneat in fundo Calicis, potest vel adduci cum digito ad labium Calicis, vel sumi cum purificatione, etiam pluries, si opus sit, iterata, & hic secundus modus est decentior. In prima vero, & secunda Missa diei Nativitatis Domini, primus modus, idest adducere eam digito ad labium Calicis, omnino observandus est, si hoc eveniat. In hac prima, & secunda Missa Nativitatis, si non sumit purificationem, & ablutionem, quia non potest, dicat tamen solitas orationes, quibus dictis Calicem super Corporale extensum cooperiat Patena cum Hostia Palla, & velo, ut in principio Missæ, relicto purificatorio prope corporale in cornu Epistolæ. Hostiæ vero pro aliis duabus Missis ante oblationem primæ ponendæ sunt subtus Corporale ex parte Epistolæ, quod corporale relinquitur extensum subtus Calicem usque ad ultimam Missam inclusive, ut dixi.

Si qui sint communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem San-

guinis, antequam se purificet, palla Calicem cooperiat, nec dicat Orationem: *Quod ore sumpsimus*, sed facta genuflexione (hic supponimus, quod particulæ in parvo numero sint super Corporale) ponat particulas consecratas super Patenam, quam collocet in medio corporalis, ita ut ejus pars superior sit elevata super pedem Calicis, quod fit, ne fragmenta, si quæ essent super corporale, eidem Patenæ adhæreant. Interim Minister ante eos extendat linteum, seu velum album, & pro eis faciat Confessionem dicens: *Confiteor Deo, &c.* Tunc Sacerdos iterum genuflectat, & manibus junctis vertens se ad populum retrahat se aliquantulum versus cornu Evangelii, & dicat, quamvis unus tantum communicandus sit: *Miserere vestri &c.* quo dicto, manu dextera faciat signum Crucis super eos, sinistra infra pectus posita, interim dicens: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, &c.* Postea vertat se ad medium Altaris, genuflectat, & accipiat manu sinistra Patenam cum Sacramento, dextera vero sumat unam particulam, quam in-

inter pollicem, & indicem teneat aliquantulum elevatam ſuper Patenam, ita tamen, ut dextera manus adhæreat Patenæ, & converſus ad communicandos in medio Altaris dicat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde dicat integre, clara voce, & ſemper in genere maſculino: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Quibus verbis tertio repetitis, accedat ad eorum dexteram, hoc eſt ad latus Epiſtolæ, & unicuique porrigat Sacramentum, faciens cum eo, ſignum Crucis ſuper Patenam eo modo, quo ſupra ſeipſum cum Hoſtia ſignavit, advertens, ne nimium elevet, & ſimul dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Omnibus communicatis, Sacerdos digitos pollices, & indices, junctos adhuc tenens ſuper Patenam, revertatur ad Altare nihil dicens, & Patenam deponat ſuper Corporale, detegat Calicem, & quia particulæ ſuper Corporale poſitæ erant, diligenter cum patena colligat fragmenta,

illud extergendo, & ea immitat in Calicem. Si in fundo Calicis unitæ vini species adhuc post communionem fidelium reperiantur, sumantur ante infusionem vini in Calicem. Pariter si omnibus communicatis, adhuc remaneant particulæ super Patenam, eas sumat ante purificationem. Deinde secreto dicat: *Quod ore sumpsimus &c.* & porrigat Ministro Calicem more solito, ac Missam prosequatur. Post hanc communionem non datur communicatis benedictio, quia danda est in fine Missæ.

Si ministrando communionem fragmenta adhæreant digitis, celebrans excutiat illa super Patenam, vel Pyxidem, si vero ob magnum calorem, digiti sint humidi præ sudore, & non solum fragmenta, sed etiam particulæ adhæreant, redeat ad Altare, & digitos purificet in vase super ipsum posito, & purificatorio abstergat; deinde redeat ad ministrandum iterum communionem; numquam autem teneat præ digitis purificatorium, dum ministrat Communionem ad digitos abstergendos, quia est contra Rubricam.

Si vero adsit supra mensam Altaris in-

intra corporale Pyxis posita in initio Missæ habens particulas consecratas reponendas intra Pyxidem, quæ quotidie stat intra Tabernaculum ad usum Fidelium, statim post sumptionem Sanguinis Sacerdos collocet intra Corporale Calicem palla coopertum versus cornu Evangelii, aperiat Tabernaculum, genuflectat, Pyxidem extrahat, discooperiat, ac iterum genuflectat, (vel si scabello opus habeat, antequam descendat, & postquam descenderit, solummodo genuflectat) tum particulas veteres e Pyxide primum distribuat, si Fideles communicandi adsint, deinde facta communione astantium, si remanserint aliquæ ex veteribus particulis, has ponat super Patenam, deinde recenter consecratas reponat intra pyxidem, super quas ponat e Patena veteres, ut sint primæ distribuendæ, quo facto cooperiat Pyxidem, & reponat in Tabernaculum, quod clave obseret, præmissis debitis genuflexionibus. Deinde diligentissime colligat omnia fragmenta quamvis minima e Patena, dummodo hac usus fuerit, & postea colligat omnia in fundo Pyxidis, in qua erant particulæ re-

recentiores consecratę, cum indice dexteræ manus, & consumat omnia collecta, eodem digito cum fragmentis linguæ admoto, ita ut nullum fragmentum remaneat. Deinde porrigat pyxidem Ministro, ut infundat parum vini, quo circumacto infra pyxidem, tota illius pars interior indice abstergatur, qua abstersa lotio ipsa effundatur in Calicem, & purificatorio undequaque Pyxis interior exsiccetur, quam exsiccatam cooperiat operculo suo, & r tro Calicem prope Tabellam secretarum ponat. Idem faciat, etiamsi sit aliud vas pro pyxide. Reliqua peragat, ut supra.

Si autem Sacerdos ipse ad renovandum Sacramentum velit particulas consumere, extracta Pyxide prædicto ritu, post sumptionem Sanguinis eas consumat cum omnibus fragmentis antequam se purificet, illamque, si opus sit, vino lotam abstergat purificatorio, lotio vero ipsa effundatur in Calicem, hinc particulas recenter consecratas ponat intra ipsam, & cætera præstet, ut supra.

Collocato jam Calice, ut supra dictum est, in medio Altaris, jungat

gat manus ante pectus more solito, & inclinato capite Cruci, accedat ad cornu Epistolæ, ubi stans junctis manibus clara voce legat Antiphonam, quæ dicitur Communio, qua lecta, junctis item manibus ante pectus, vadat ad medium Altaris, & eo osculato, extensis hinc inde manibus, se erigat, ac manibus junctis vertat se ad populum a manu sinistra ad dexteram, ideft a parte epistolæ ad cornu Evangelii, & ibi stans in medio extendens manus modo solito, dicat demissis oculis: *Dominus vobiscum*, quo dicto junctis ante pectus manibus per eamdem viam redeat ad librum & clara voce dicat: *Oremus*, Cruci caput inclinans, postea legat Orationem, vel Orationes post communionem, eisdem modo, numero, & ordine, ut supra dictæ sunt collectæ, quibus finitis, claudat librum tantum post conclusionem Orationis completam, vel saltem circa finem conclusionis post factam reverentiam Cruci, dummodo non accedat ad medium Altaris, nisi finita conclusione, & responso, *Amen* a Ministro. Claudat vero librum

brum manu dextera, ita ut pars clausa Calicem respiciat. Si vero aliud Evangelium sit legendum, librum apertum relinquat, nec accedat ad medium Altaris, nisi dum Minister respondeat: *Amen*. Clauso libro, jungens manus ante pectus, revertatur ad medium Altaris, ubi, eo osculato, vertat se ad populum, & dicat ut supra: *Dominus vobiscum*, quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicat, si dicendum est: *Ite Missa est*, & per eamdem viam revertatur ad Altare. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum*, revertatur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicat: *Benedicamus Domino*.

In Quadragesima autem a feria quarta Cinerum, usque ad feriam quartam majoris Hebdomadæ, in feriali officio, postquam Celebrans dixit Orationes post communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat: *Dominus vobiscum*, stans in eodem loco ante librum, dicat: *Oremus: Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinans unica inclinatione

tione versus Crucem, & extensis manibus subjungat eadem voce Orationem super populum ibidem positam, qua finita, revertatur ad medium, osculetur Altare, & vertens se ad populum, dicat: *Dominus vobiscum*, & alia ut supra.

Dicto: *Ite Missa est*, vel: *Benedicamus Domino*, ut supra, Celebrans ante medium Altaris, manibus junctis super eo, & capite inclinato, dicat secreto: *Placeat tibi, Sancta Trinitas, &c.* Quo dicto extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculetur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevans ad cœlum oculos, & manus, easdemque extendens, ac jungens, Cruci caput inclinans, dicat voce intelligibili: *Benedicat vos Omnipotens Deus*, mox vertens se ad populum a cornu Epistolæ, junctis manibus ante pectus, demissis ad terram oculis, & perventus ad circuli medietatem, statim sinistra infra pectus posita, extensa manu dextera, cujus digitis simul junctis, & extensis, parvum digitum vertens ad populum, cui benedicit, semel benedicat populo dicens: *Pater, & Filius*,

& Spi-

& Spiritus Sanctus. Dicens: *Pater*, ducat primam lineam a fronte; dicens: *& Filius*, ducat ad pectus; dicens: *Et Spiritus Sanctus*, ducat secundam lineam transversam ab humero sinistro ad dexterum. Responso: *Amen*, & circulum perficiens accedat ad cornu Evangelii, ubi stans versus ejusdem cornu dicat: *Dominus vobiscum*: quo statim dicto, posita sinistra super Missale, vel si non adsit, super Altare, pollice dextero signans signo Crucis initium Evangelii, quo signato ponat sinistram infra pectus, & eodem pollice dextero signet frontem, os, & pectus sui ipsius, interim dicens: *Initium*, vel *Sequentia Sancti Evangelii secundum*, *&c.* Quo dicto jungat manus ante pectus, & legat Evangelium; *In principio*, vel aliud pro qualitate Missæ. Dicens: *Et verbum caro factum est*, genuflectat versus cornu Evangelii, & surgens, prosequatur ut prius, quo finito, non osculetur librum, si usus est, & illum claudat dextera manu, ita ut pars aperta libri respiciat cornu Evangelii, non Calicem; similiter non osculetur Tabellam ordinariam *Evangelii S.*

Joan-

Joannis, neque Altare, si libro usus non est.

Finito ultimo Evangelio, rediens Celebrans manibus junctis ante pectus ad medium Altaris, Cruci caput inclinet, deinde revoluta ambabus manibus anteriore parte veli super Calicem, accipiat eumdem Calicem per nodum manu sinistra, dexteram extensam ponens super bursam, ne aliquid cadat, retrahens se aliquantulum ad partem Evangelii, in planum Capellæ discendat, & ibi in medio vertens se ad illud, caput Cruci inclinet, vel si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectat, & facta inclinatione, vel genuflexione, se erigat, accipiat biretum a Ministro, caput cooperiat, & præcedente eodem Ministro, eodem modo, quo venerat, redeat ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam: *Trium puerorum*, & Canticum: *Benedicite*.

Perventus in Sacristiam capite cooperto profundam faciat reverentiam Cruci, vel principali Imagini, non benedicens Ministrum manu, sed, si velit, voce benedicat, dicens: *Dominus te benedicat*, quo facto, deponat Calicem in locum pristinum,

in

in quo erat; quo depoſito, & capite detecto Sacerdotes ibi præſentes ſalutet, ſi adſint: deinde exuat ſe ordine retrogrado, Cruces oſculetur ad ſingula paramenta, in quibus adſunt. Advertat Sacerdos, quod in depoſitione Albæ, primum exuat brachium dexterum, eoque ſubtus eamdem Albam immiſſo, inferiorem ipſius Albæ partem elevet ab eodem latere ſupra caput, ac ea ſiniſtro humero ſuperpoſita, brachium ſiniſtrum exuat, tum relinquat eam Miniſtro, poſtea tollens Amictum prius oſculatum ad Crucem, tradat eidem Miniſtro, & ſtatim ob reverentiam Sacramenti, utriuſque indicis, & pollicis ſummitatem abluat aqua diffundenda poſtea in locum mundum, & manutergio ad hoc deſtinato abſtergat, & genuflexus in loco opportuno, ubi antea fecit præparationem, gratias agat recitans Pſalmos, & Orationes extenſas in prædicta Tabella præparationis. Memoriale Sacerdotum frequenter reviſe. Miſſalis Rubricas, & præcipue illas, quæ tractant *de Defectibus in Celebratione Miſſarum occurrentibus*. Si plura deſideres, vide librum, cujus

jus titulus est: *Avvertimenti ai Sacerdoti per l' osservanza esatta de' Sacri Riti, e ceremonie nella celebrazione della S. Messa privata, stampati per ordine dell' Eminentiss. e Reverendiss. Sig. Cardinale Gregorio Barbarigo Vescovo di Padova, &c.*

Servandæ ne sunt ejusmodi cæremoniæ, etiam in Missis pro defunctis?

In Missis pro defunctis ante Confessionem non dicatur Psalmus: *Judica me Deus*, sed pronunciata Antiphona: *Introibo ad Altare Dei*, & responso a Ministro: *Ad Deum, qui lætificat, &c.* dicatur versus: *Adjutorium nostrum*, & confessio cum reliquis, ut supra.

Cum Celebrans ad Altare incipiat introitum, non signet se, sed manu dextera extensa faciat signum Crucis in aere super librum, quasi aliquem benedicens, sinistra super Missali posita.

Non dicatur: *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetatur: *Requiem æternam*, nec dicatur: *Gloria in excelsis &c.* nec *Alleluja*.

Ante Evangelium non dicatur: *Jube, Domine, benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo, &c.* nec osculetur

letur librum, nec dicatur: *Per Evangelica dicta, &c.* in fine Evangelii.

Non dicatur: *Credo, &c.* nec benedicatur aquæ ampulla in Calicem fundendæ: dicatur tamen Oratio: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem, &c.*

Cum lavat manus, in fine Psalmi: *Lavabo inter innocentes, &c.* non dicatur: *Gloria Patri, &c.* Ad: *Agnus Dei* non dicatur: *Miserere nobis*, sed ejus loco dicatur: *Dona eis Requiem*, nec tertio: *Dona nobis pacem*, sed ejus loco: *Dona eis requiem sempiternam*, nec percutiatur pectus, sed dicatur manibus ante pectus junctis, non vero super Altare positis.

Non dicatur prima Oratio ante Communionem, scilicet: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c.* nec detur Pax.

In fine non dicatur: *Ite Missa est*, nec: *Benedicamus Domino*, sed in plurali numero: *Requiescant in pace*, etiamsi pro uno tantum celebrante sit Missa. Et non detur Benedictio, sed dicto: *Placeat, &c.* & osculato Altari dicatur: *Dominus vobiscum*, & *In principio erat Verbum, &c.* Alia omnia serventur, ut in aliis Missis.

Ad-

Advertat postremo Celebrans, ne quid addat, vel detrahat, aut mutet in Missa circa Ritus, & cæremonias in Missali præscriptas; alioquin mortaliter delinquet, etiamsi ex devotione tantum id agere præsumat, ut etiam infra dicetur, & colligitur ex Bulla Pii V. Missali præfixa.

De Ordine Ministrandi Sacram Communionem extra Missam.

CAPUT IX.

Explica ordinem comunicandi extra Missam, quem Sacerdos observare debet?

Cum igitur extra Missam est ministranda sacra Communio, prius paretur in Altari, ubi est Tabernaculum SS. Sacramenti, per Sacristam, Bursa coloris convenientis festo, cum corporali intus, vel saltem Palla major, quam quæ adhibetur ad tegendum Calicem, & purificatorium prope medium Altaris, juxta corporale, vel pallam ad latus Epistolę, & ad idem cornu in medio prope Tabernaculum ponatur vas aquæ

ad abluendos digitos Sacerdotis, ablutio vero effundenda est postea in Sacrarium; ibi etiam paretur clavis Tabernaculi, & mappæ lineæ extendantur super cancellos, si necesse sit, ante communicandos: item si opus sit, paretur scabellum, de quo infra ad cornu Epistolæ in plano Altaris. Hæc omnia ita parata manere debent a mane usque ad meridiem, si frequentia communicandorum adsit.

His itaque paratis, & accensis duabus candelis in Altari, Sacerdos lotis prius manibus, si non sit sacris vestibus indutus, induatur superpelliceo, & Stola e collo pendente coloris officio diei convenientis, (ita decrevit Sac. Congreg. Rit. 12. *Julii* 1628.) & præcedente Ministro cotta induto, pergat ad Altare capite cooperto, & manibus ante pectus junctis cum incessu gravi; quo cum pervenerit, dato bireto Ministro, genuflectat in plano usque ad terram, & Minister cum eo aliquantulum retro, & surgat, & rursus flexis genibus super infimum gradum Altaris parumper oret, si velit, dicens Orationem: *Aures tuæ pietatis*, aut aliam convenientem. Statim assurrectus ascendat

ad

ad Altare, extrahat corporale de Bursa, eaque ad latus Evangelii deposita, illud, vel pallam prædictam extendat, purificatorium sibi prope vas purificationis paret, & accepta clave (si opus sit, Minister ministret parvum scabellum, ut supra illud Sacerdos ascendens, commode, & facile extrahat Pyxidem e Tabernaculo quod statim removeat post ejusdem Pyxidis extractionem) aperiat Tabernaculum, genuflectat, (hæc genuflexio vero, si utatur Scabello, facienda tantum est ante ascensum, & post descensum) surgat statim, & extrahat Pyxidem, quam reverenter deponat super corporale, vel pallam in medio, & eam aperiat, ac iterum genuflectat, & stet ad Altare conversus, si nondum fuerit finita confessio, quam nomine omnium faciat Minister genuflexus in latere Epistolæ dicens. *Confiteor*, *&c.* ac rursus genuflectat, antequam se convertat: vel si facta fuerit confessio, statim manibus junctis ante pectus vertat se ad communicandos, advertens, ne terga vertat Sacramento, & ad cornu Evangelii stans dicat: *Misereatur vestri*, *&c.* etiam si sit unus tantum

communicandus, & proſequatur: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus*, producens manu dextera ſignum Crucis ſuper communicandos, ſiniſtra infra pectus poſita. Data vero ad *Indulgentiam* benedictione, Sacerdos ad Altare ſe convertat, & facta genuflexione, capiat ſiniſtra nodum Pyxidis firmiter, ne decidat, & duobus digitis, ſcilicet pollice, & indice dexteræ manus, accipiat ſacram Particulam, & eam elevet ſuper Pyxidem, ita tamen, & dextera manu adhæreat Pyxidi, & converſus ad populum in medio Altaris, oculis ad Sacramentum intentis, dicat clara voce: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, mox ſubdat: *Domine, non ſum dignus, &c.* quod iterum, ac tertio repetat; qua formula utendum eſt, cum fœminæ etiam communio miniſtratur.

Poſtea ad communicandos accedat, incipiens ab iis qui ſunt ad partem Epiſtolæ, ſed primo Miniſtrum communicet, ſi ſit paratus, vel Sacerdotes, vel alios de clero, ſi adſint ad id parati, genuflexos ad gradus Al-

taris,

taris, quia quantum fieri potest, intra sepimentum Altaris, sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent,& Clerici cum cottis suis. Tunc descendens ad cancellos, si cancelli adsint, secus ad gradus Altaris, versus latus Epistolæ incipiens, unicuique laicorum porrigat Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis, eo modo, quo se signat, ita ut limites Pyxidis non egrediatur, simul dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* addens & ipse. *Amen*. Porro Sacerdos, dum tenet particulam pollice, & indice dexteræ manus, alios tres digitos inflexos, & intra manum complicatos teneat.

Tandem omnibus communicatis, Sacerdos redeat ad Altare, digitos adhuc tenens junctos super Pyxidem, quibus tetigit, & ministravit Sacramentum, quam Pyxidem super Corporale, vel pallam in medio collocet, excutiat diligenter in illam fragmenta, si quæ forsan digitis adhæserint, abluat digitos, quibus tetigit Sacramentum, & eos abstergat purificatorio: digitis extersis, Sacerdos genuflectat, surgat, cooperiat Pyxidem, reponat in Tabernacu-

 lum,

lum, ministro rursus ministrante prædictum scabellum, si opus sit, genuflectat iterum, claudat Tabernaculum, illud clave obseret, minister scabellum removeat, & Sacerdos conversus ad communicatos manibus junctis, & stans in medio, extensa manu dextera, tenens sinistram pectori admotam, benedicat ipsis, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper:* cui Minister genuflexus respondeat: *Amen*: Antequam vero benedicat; interim faciens prædictas actiones dicat: *O Sacrum convivium &c.* Tum versum; *Panem de cœlo &c.* cui tempore Paschali, & etiam infra Octavam Corporis Christi addatur: *Alleluja:* & Minister respondeat: *Omne delectamentum &c.* Tum versus: *Domine exaudi &c.* & *Dominus vobiscum*, postea: *Oremus*, & Orationem subdat: *Deus qui nobis &c.* & tempore Paschali: *Spiritum nobis Domine &c.* ut in Rituali Romano. Data benedictione Sacerdos plicet Corporale, & reponat in bursam, quam collocet, ut prius, vel relinquat extensum ob frequentiam comunicando-

rum,

rum, & facta inclinatione Cruci, descendat in planum, ubi genuflectat, & surgens, ac accipiens biretum a Ministro, caput tegat, & revertatur in Sacristiam, pro ut venerat.

Gavantus vero in (*Cærem. Cleric. Regular. S. Pauli lib.* 3. *cap.* 7. vult, quod Sacerdos redeat ad Altare (communicatis jam omnibus), digitos adhuc tenens super pyxidem, quibus Sacramentum tetigit, deponat Pyxidem, genuflectat, surgat, & dicat: *O sacrum convivium, &c.* ut supra. Diligenter advertat, ne quid fragmenti digitis adhæreat, & illud in Pyxidem deponat, genuflectat, surgat, Pyxidem cooperiat operculo, digitos abluat, ministrante Clerico ablutionem in cornu Epistolæ, & purificatorio abstergat, genuflectens, dum recedit a medio, & ad medium rediens iterum genuflectat, surgat, & reponat Pyxidem in Tabernaculum, & rursus genuflectens clave obseret: postea extensa manu dextera semel benedicat iis, qui communicarunt, dicens. *Benedictio Dei Omnipotentis &c.* reliqua ut supra. Si alicui hic Gavanti ritus placeat, illum teneat, si non placeat, primum sequatur.

Regulariter nemini datur Communio ante Missam a Sacerdote mox celebraturo, sed si forte rationabili causa danda sit aliquibus ad altare, ubi est Tabernaculum, serventur ea supra dicta, & facta Communione, Sacerdos antequam incipiat Missam, det benedictionem ut supra, quia est extra Missam, & quia forte communicati non audituri sunt ipsam Missam sequentem.

Si aliqui vero petant communionem, finita Missa, quæ celebratur ad altare SS. Sacramenti, Sacerdos retenta planeta, & Stola cum manipulo, collocatoque calice in cornu Evangelii, extrahat corporale, dummodo non adsit palla, quia si adsit, non extrahat, Tabernaculum aperiat, cæteraque præstet ritu, quo supra. Hæc omnia, habuimus ex Bauldry, Bongiovanni, Tonellio, & aliis.

De

De Missa Privata coram SS. Sacramento exposito.

CAPUT X.

Quinam ritus servandus est in celebratione Missæ coram Sacramento exposito?

IN eo altari, in quo SS. Sacramentum expositum est, celebrandum non esset, ut habemus in Cæremon. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 12. Quia vero usu receptum est, ut aliquando etiam coram ipso solemniter exposito celebretur, operæ prætium duxi ea omnia præscribere, quæ in hujusmodi celebratione servanda sunt, juxta ea, quæ a recentioribus Cæremoniarum Magistris, præsertim a numquam satis laudatis Bauldry, Buongiovanni, & Tonellio fusius indicantur.

Statim ac Sacerdos Presbyterium, seu Cappellam dicti Altaris ingreditur, aliquantulum consistens, caput detegat, porrigens Ministro birretum, & cum post Missam regreditur, illud accipiat a Ministro, caputque tegat ibidem, & perveniens ante in-

infimum gradum ad medium Altaris, genuflectat utroque genu in plana terra, caput quoque profunde inclinans: aliæ vero genuflexiones, præter hanc primam, & ultimam, fiant unico genu, absque capitis inclinatione, nisi aliter notetur.

Facta hac genuflexione, mox surgens recta ascendat ad Altare; & posito Calice in cornu Evangelii, antequam extrahat Corporale de Bursa, genuflectat, postea aperto, ac aptato Corporali, & Calice superposito, genuflectat iterum, & accedat ad cornu Epistolæ, unde aperto libro redeat ad medium Altaris, & genuflectat, nullaque interposita mora aliquantulum retrahens se ad cornu Evangelii, advertens ne terga vertat Sacramento, descendat in planum, ibique genuflectens super infimum gradum, unico tantum genu, caput tamen eodem tempore inclinans, erectus incipiat Missam more solito.

Dicto vero Psalmo, & facta Confessione, &c. non genuflectat antequam ascendat ad Altare, sed postquam ascenderit, antequam incipiat orationem: *Oramus te Domine &c.* genuflectat, & postquam illam dixerit, oscu-

osculato prius Altari, iterum genuflectat; deinde accedat ad librum, & lecto Introitu, rediens in medium, antequam incipiat: *Kyrie eleison*, genuflectat.

Dicturus: *Dominus vobiscum*, osculetur prius Altare, genuflectat, & vertat se ad populum sistens se renibus ad cornu Evangelii semiversis, ne terga vertat Sacramento, (quod semper faciat, quoties se convertit ad populum) quo dicto vertat se facie ad medium Altaris, ubi iterum genuflectat, antequam accedat ad librum.

Genuflectat ante, & post *Munda cor meum*, in medio Altaris, & eodem loco genuflectat, antequam incipiat: *Credo*, quo dicto osculetur prius Altare, postea genuflectat, & conversus ad populum ut supra, dicat *Dominus vobiscum*, & conversus ad Altare genuflectat iterum, & postea dicat *Oremus*.

Antequam accedat ad cornu Epistolæ, ut vinum in Calicem infundat, & iterum reversus ad medium, genuflectat.

Dicto: *Veni Sanctificator*, & benedictis oblatis non jungat manus, nec

in quo erat; quo deposito, & capite detecto Sacerdotes ibi præsentes salutet, si adsint: deinde exuat se ordine retrogrado, Cruces osculetur ad singula paramenta, in quibus adsunt. Advertat Sacerdos, quod in depositione Albæ, primum exuat brachium dexterum, eoque subtus eamdem Albam immisso, inferiorem ipsius Albæ partem elevet ab eodem latere supra caput, ac ea sinistro humero superposita, brachium sinistrum exuat, tum relinquat eam Ministro, postea tollens Amictum prius osculatum ad Crucem, tradat eidem Ministro, & statim ob reverentiam Sacramenti, utriusque indicis, & pollicis summitatem abluat aqua diffundenda postea in locum mundum, & manutergio ad hoc destinato abstergat, & genuflexus in loco opportuno, ubi antea fecit præparationem, gratias agat recitans Psalmos, & Orationes extensas in prædicta Tabella præparationis. Memoriale Sacerdotum frequenter revise. Missalis Rubricas, & præcipue illas, quæ tractant *de Defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus*. Si plura desideres, vide librum, cu-

jus

jus titulus est: *Avvertimenti ai Sacerdoti per l'osservanza esatta de' Sacri Riti, e ceremonie nella celebrazione della S. Messa privata, stampati per ordine dell' Eminentiss. e Reverendiss. Sig. Cardinale Gregorio Barbarigo Vescovo di Padova, &c.*

Servandæ ne sunt ejusmodi cæremoniæ, etiam in Missis pro defunctis?

In Missis pro defunctis ante Confessionem non dicatur Psalmus: *Judica me Deus*, sed pronunciata Antiphona: *Introibo ad Altare Dei*, & responso a Ministro: *Ad Deum, qui letificat, &c.* dicatur versus: *Adjutorium nostrum*, & confessio cum reliquis, ut supra.

Cum Celebrans ad Altare incipiat introitum, non signet se, sed manu dextera extensa faciat signum Crucis in aere super librum, quasi aliquem benedicens, sinistra super Missali posita.

Non dicatur: *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetatur: *Requiem æternam*, nec dicatur: *Gloria in excelsis &c.* nec *Alleluja*.

Ante Evangelium non dicatur: *Jube, Domine, benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo, &c.* nec osculetur

letur librum, nec dicatur: *Per Evangelica dicta, &c.* in fine Evangelii.

Non dicatur: *Credo, &c.* nec benedicatur aquæ ampullæ in Calicem fundendæ: dicatur tamen Oratio: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem, &c.*

Cum lavat manus, in fine Psalmi: *Lavabo inter innocentes, &c.* non dicatur: *Gloria Patri, &c.* Ad: *Agnus Dei* non dicatur: *Miserere nobis*, sed ejus loco dicatur: *Dona eis Requiem*, nec tertio: *Dona nobis pacem*, sed ejus loco: *Dona eis requiem sempiternam*, nec percutiatur pectus, sed dicatur manibus ante pectus junctis, non vero super Altare positis.

Non dicatur prima Oratio ante Communionem, scilicet: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c.* nec detur Pax.

In fine non dicatur: *Ite Missa est*, nec: *Benedicamus Domino*, sed in plurali numero: *Requiescant in pace*, etiamsi pro uno tantum celebrante sit Missa. Et non detur Benedictio, sed dicto: *Placeat. &c.* & osculato Altari dicatur: *Dominus vobiscum*, & *In principio erat Verbum, &c.* Alia omnia serventur, ut in aliis Missis.

Ad-

Advertat postremo Celebrans, ne quid addat, vel detrahat, aut mutet in Missa circa Ritus, & cæremonias in Missali præscriptas; alioquin mortaliter delinquet, etiamsi ex devotione tantum id agere præsumat, ut etiam infra dicetur, & colligitur ex Bulla Pii V. Missali præfixa.

De Ordine Ministrandi Sacram Communionem extra Missam.

CAPUT IX.

Explica ordinem comunicandi extra Missam, quem Sacerdos observare debet?

Cum igitur extra Missam est ministranda sacra Communio, prius paretur in Altari, ubi est Tabernaculum SS. Sacramenti, per Sacristam, Bursa coloris convenientis festo, cum corporali intus, vel saltem Palla major, quam quæ adhibetur ad tegendum Calicem, & purificatorium prope medium Altaris, juxta corporale, vel pallam ad latus Epistolę, & ad idem cornu in medio prope Tabernaculum ponatur vas aquæ

ad abluendos digitos Sacerdotis, ablutio vero effundenda eſt poſtea in Sacrarium; ibi etiam paretur clavis Tabernaculi, & mappæ lineæ extendantur ſuper cancellos, ſi neceſſe ſit, ante communicandos: item ſi opus ſit, paretur ſcabellum, de quo infra ad cornu Epiſtolæ in plano Altaris. Hæc omnia ita parata manere debent a mane uſque ad meridiem, ſi frequentia communicandorum adſit.

His itaque paratis, & accenſis duabus candelis in Altari, Sacerdos lotis prius manibus, ſi non ſit ſacris veſtibus indutus, induatur ſuperpelliceo, & Stola e collo pendente coloris officio diei convenientis, (ita decrevit Sac. Congreg. Rit. 12. *Julii* 1628.) & præcedente Miniſtro cotta induto, pergat ad Altare capite cooperto, & manibus ante pectus junctis cum inceſſu gravi; quo cum pervenerit, dato bireto Miniſtro, genuflectat in plano uſque ad terram, & Miniſter cum eo aliquantulum retro, & ſurgat, & rurſus flexis genibus ſuper infimum gradum Altaris parumper oret, ſi velit, dicens Orationem: *Aures tuæ pietatis*, aut aliam convenientem. Statim aſſurrectus aſcendat

ad

ad Altare, extrahat corporale de Bursa, eaque ad latus Evangelii deposita, illud, vel pallam prædictam extendat, purificatorium sibi prope vas purificationis paret, & accepta clave (si opus sit, Minister ministret parvum scabellum, ut supra illud Sacerdos ascendens, commode, & facile extrahat Pyxidem e Tabernaculo quod statim removeat post ejusdem Pyxidis extractionem) aperiat Tabernaculum, genuflectat, (hæc genuflexio vero, si utatur Scabello, facienda tantum est ante ascensum, & post descensum) surgat statim, & extrahat Pyxidem, quam reverenter deponat super corporale, vel pallam in medio, & eam aperiat, ac iterum genuflectat, & stet ad Altare conversus, si nondum fuerit finita confessio, quam nomine omnium faciat Minister genuflexus in latere Epistolæ dicens. *Confiteor*, *&c.* ac rursus genuflectat, antequam se convertat: vel si facta fuerit confessio, statim manibus junctis ante pectus vertat se ad communicandos, advertens, ne terga vertat Sacramento, & ad cornu Evangelii stans dicat: *Misereatur vestri*, *&c.* etiam si sit unus tantum

communicandus, & prosequatur: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, & misericors Dominus*, producens manu dextera signum Crucis super communicandos, sinistra infra pectus posita. Data vero ad *Indulgentiam* benedictione, Sacerdos ad Altare se convertat, & facta genuflexione, capiat sinistra nodum Pyxidis firmiter, ne decidat, & duobus digitis, scilicet pollice, & indice dexteræ manus, accipiat sacram Particulam, & eam elevet super Pyxidem, ita tamen, & dextera manu adhæreat Pyxidi, & conversus ad populum in medio Altaris, oculis ad Sacramentum intentis, dicat clara voce: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, mox subdat: *Domine, non sum dignus, &c.* quod iterum, ac tertio repetat; qua formula utendum est, cum fœminæ etiam communio ministratur.

Postea ad communicandos accedat, incipiens ab iis qui sunt ad partem Epistolæ, sed primo Ministrum communicet, si sit paratus, vel Sacerdotes, vel alios de clero, si adsint ad id parati, genuflexos ad gradus Altaris,

taris, quia quantum fieri poteſt, intra ſepimentum Altaris, ſint a laicis diſtincti. Sacerdotes vero cum ſtola communicent, & Clerici cum cottis ſuis. Tunc deſcendens ad cancellos, ſi cancelli adſint, ſecus ad gradus Altaris, verſus latus Epiſtolæ incipiens, unicuique laicorum porrigat Sacramentum, faciens cum eo ſignum Crucis, eo modo, quo ſe ſignat, ita ut limites Pyxidis non egrediatur, ſimul dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* addens & ipſe. *Amen*. Porro Sacerdos, dum tenet particulam pollice, & indice dexteræ manus, alios tres digitos inflexos, & intra manum complicatos teneat.

Tandem omnibus communicatis, Sacerdos redeat ad Altare, digitos adhuc tenens junctos ſuper Pyxidem, quibus tetigit, & miniſtravit Sacramentum, quam Pyxidem ſuper Corporale, vel pallam in medio collocet, excutiat diligenter in illam fragmenta, ſi quæ forſan digitis adhæſerint, abluat digitos, quibus tetigit Sacramentum, & eos abſtergat purificatorio: digitis exterſis, Sacerdos genuflectat, ſurgat, cooperiat Pyxidem, reponat in Tabernacu-

lum, miniſtro rurſus miniſtrante prædictum ſcabellum, ſi opus ſit, genuflectat iterum, claudat Tabernaculum, illud clave obſeret, miniſter ſcabellum removeat, & Sacerdos converſus ad communicatos manibus junctis, & ſtans in medio, extenſa manu dextera, tenens ſiniſtram pectori admotam, benedicat ipſis, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris* ✠, *& Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper:* cui Miniſter genuflexus reſpondeat: *Amen*: Antequam vero benedicat; interim faciens prædictas actiones dicat: *O Sacrum convivium &c.* Tum verſum; *Panem de cælo &c.* cui tempore Paſchali, & etiam infra Octavam Corporis Chriſti addatur: *Alleluja*: & Miniſter reſpondeat: *Omne delectamentum &c.* Tum verſus: *Domine exaudi &c.* & *Dominus vobiſcum*, poſtea: *Oremus*, & Orationem ſubdat: *Deus qui nobis &c.* & tempore Paſchali: *Spiritum nobis Domine &c.* ut in Rituali Romano. Data benedictione Sacerdos plicet Corporale, & reponat in burſam, quam collocet, ut prius, vel relinquat extenſum ob frequentiam comunicandorum,

rum,

rum, & facta inclinatione Cruci, descendat in planum, ubi genuflectat, & surgens, ac accipiens biretum a Ministro, caput tegat, & revertatur in Sacristiam, pro ut venerat.

Gavantus vero in (*Cærem. Cleric. Regular. S. Pauli lib.* 3. *cap.* 7. vult, quod Sacerdos redeat ad Altare (communicatis jam omnibus), digitos adhuc tenens super pyxidem, quibus Sacramentum tetigit, deponat Pyxidem, genuflectat, surgat, & dicat: *O sacrum convivium*, *&c.* ut supra. Diligenter advertat, ne quid fragmenti digitis adhæreat, & illud in Pyxidem deponat, genuflectat, surgat, Pyxidem cooperiat operculo, digitos abluat, ministrante Clerico ablutionem in cornu Epistolæ, & purificatorio abstergat, genuflectens, dum recedit a medio, & ad medium rediens iterum genuflectat, surgat, & reponat Pyxidem in Tabernaculum, & rursus genuflectens clave obseret: postea extensa manu dextera semel benedicat iis, qui communicarunt, dicens. *Benedictio Dei Omnipotentis &c.* reliqua ut supra. Si alicui hic Gavanti ritus placeat, illum teneat, si non placeat, primum sequatur.

Regulariter nemini datur Communio ante Missam a Sacerdote mox celebraturo, sed si forte rationabili causa danda sit aliquibus ad altare, ubi est Tabernaculum, serventur ea supra dicta, & facta Communione, Sacerdos antequam incipiat Missam, det benedictionem ut supra, quia est extra Missam, & quia forte communicati non audituri sunt ipsam Missam sequentem.

Si aliqui vero petant communionem, finita Missa, quæ celebratur ad altare SS. Sacramenti, Sacerdos retenta planeta, & Stola cum manipulo, collocatoque calice in cornu Evangelii, extrahat corporale, dummodo non adsit palla, quia si adsit, non extrahat, Tabernaculum aperiat, cæteraque præstet ritu, quo supra. Hæc omnia habuimus ex Bauldry, Bongiovanni, Tonellio, & aliis.

De

De Missa Privata coram SS. Sacramento exposito.

CAPUT X.

Quinam ritus servandus est in celebratione Missæ coram Sacramento exposito?

IN eo altari, in quo SS. Sacramentum expositum est, celebrandum non esset, ut habemus in Cæremon. Episcop. *lib.* 1. *cap.* 12. Quia vero usu receptum est, ut aliquando etiam coram ipso solemniter exposito celebretur, operæ prætium duxi ea omnia præscribere, quæ in hujusmodi celebratione servanda sunt, juxta ea, quæ a recentioribus Cæremoniarum Magistris, præsertim a numquam satis laudatis Bauldry, Buongiovanni, & Tonellio fusius indicantur.

Statim ac Sacerdos Presbyterium, seu Cappellam dicti Altaris ingreditur, aliquantulum consistens, caput detegat, porrigens Ministro birretum, & cum post Missam regreditur, illud accipiat a Ministro, caputque tegat ibidem, & perveniens ante

infimum gradum ad medium Altaris, genufleɛtat utroque genu in plana terra, caput quoque profunde inclinans: aliæ vero genuflexiones, præter hanc primam, & ultimam, fiant unico genu, absque capitis inclinatione, nisi aliter notetur.

Facta hac genuflexione, mox surgens recta ascendat ad Altare; & posito Calice in cornu Evangelii, antequam extrahat Corporale de Bursa, genuflectat, postea aperto, ac aptato Corporali, & Calice superposito, genuflectat iterum, & accedat ad cornu Epistolæ, unde aperto libro redeat ad medium Altaris, & genuflectat, nullaque interposita mora aliquantulum retrahens se ad cornu Evangelii, advertens ne terga vertat Sacramento, descendat in planum, ibique genuflectens super infimum gradum, unico tantum genu, caput tamen eodem tempore inclinans, erectus incipiat Missam more solito.

Dicto vero Psalmo, & facta Confessione, &c. non genuflectat antequam ascendat ad Altare, sed postquam ascenderit, antequam incipiat orationem: *Oramus te Domine &c.* genuflectat, & postquam illam dixerit, oscu-

osculato prius Altari, iterum genuflectat; deinde accedat ad librum, & lecto Introitu, rediens in medium, antequam incipiat: *Kyrie eleison*, genuflectat.

Dicturus: *Dominus vobiscum*, osculetur prius Altare, genuflectat, & vertat se ad populum sistens se renibus ad cornu Evangelii semiversis, ne terga vertat Sacramento, (quod semper faciat, quoties se convertit ad populum) quo dicto vertat se facie ad medium Altaris, ubi iterum genuflectat, antequam accedat ad librum.

Genuflectat ante, & post *Munda cor meum*, in medio Altaris, & eodem loco genuflectat, antequam incipiat: *Credo*, quo dicto osculetur prius Altare, postea genuflectat, & conversus ad populum ut supra, dicat *Dominus vobiscum*, & conversus ad Altare genuflectat iterum, & postea dicat *Oremus*.

Antequam accedat ad cornu Epistolæ, ut vinum in Calicem infundat, & iterum reversus ad medium, genuflectat.

Dicto: *Veni Sanctificator*, & benedictis oblatis non jungat manus, nec

caput inclinet, sed genuflectat, deinde manibus junctis, recta incedens versus cornu Epistolæ, descendat in planum, ibique in plana terra non statim se convertat ad populum, sed vertendo faciem ad parietem Altaris, & successive ad cornu Evangelii, ne terga vertat ad Sacramentum, perficiat circulum, & sic facie conversus ad populum lavet manus, easque tergat, quibus lotis, & abstersis, redeat ad medium Altaris, ad quod reversus genuflectat. Hoc fit ad majorem decentiam.

Dicturus *Orate fratres*, osculato prius Altari, genuflectat, & versus ad populum illud dicat eo modo, quo *Dominus vobiscum* in cornu Evangelii, quo dicto, circulum non perficiat, sed rediens per eamdem viam, iterum genuflectat in medio Altaris. Reliqua peragat usque ad communionem, ut in aliis Missis.

Post sumptam purificationem posito Calice extra Corporale ad cornu Epistolæ, genuflectat, deinde accepto Calice, & in eo facta ablutione digitorum de more, non extra Altare, qua facta, & extensis digitis, reversus ad medium genuflectat iterum, ibi-

ibique in medio Altaris ſumat ablutionem more ſolito, licet aliqui contrarium dixerint. Hæc noſtra opinio firmiter tenenda eſt ex authoritate Cærem. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 23. cum non videatur ulla irreverentia in abluendis digitis ſuper Calicem in cornu Epiſtolæ, & in ſumenda ablutione Calicis in medio Altaris, ſicut & purificatione.

Antequam diſcedat a medio dicturus *Communionem*, genuflectat, qua dicta redeat ad medium Altaris, genuflectat prius, poſtea oſculetur Altare, & convertat ſe ad populum, ut ſupra dicens: *Dominus vobiſcum*; quo dicto converſus ad Altare iterum genuflectat, mox ſurgens vadat ad librum lecturus Orationem, vel Orationes.

Dictis orationibus accedat ad medium, genuflectat, oſculetur Altare, & dicat verſus ad populum: *Dominus vobiſcum*, & *Ite Miſſa eſt* ſemivertens ad cornu Evangelii, ut ſupra, & iterum converſus ad Altare genuflectat. Si vero dicturus ſit: *Benedicamus Domino*, converſus ad Altare poſt *Dominus vobiſcum*, prius genuflectat, antequam illud dicat.

Ad Benedictionem dicto: *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* osculetur Altare, & dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput non inclinet, sed genuflectat, & conversus ad populum in cornu Evangelii eo modo quo supra ad: *Dominus vobiscum* illum benedicat more solito, & non perficiat circulum, neque redeat ad medium Altaris, ut genuflectat, sed statim in eodem cornu, ubi benedixit populum, conversus ad Altare circulum non faciens dicat: *Dominus vobiscum*, & legat Evangelium, non signans Altare ad *Initium*, sed librum solum, aut Tabellam, si adsit; si neutrum adsit, signet solum seipsum, & hoc faciat, non solum quando Sacramentum est in plano Altaris, sed etiam si esset altius Altari.

Dicturus: *Et Verbum caro factum est*, genuflectat aliquantulum versus SS. Sacramentum, quod faciat etiam ad similia verba, ad quæ solet genuflecti tam in cornu Evangelii, quam in cornu Epistolæ.

Finito Evangelio, accedens ad medium, antequam capiat Calicem, genuflectat, quo capto descendat humeris versis ad cornu Evangelii,

ut

ut in principio Missæ, & quando est in plano, genuflectat utroque genu, caput quoque profunde inclinans, & discedens caput tegat ibi, ubi adveniens detexerat, aliquantulum consistens, nec prius biretum recipiat a Ministro.

Regula generalis est, quoties celebrans accedat ad medium Altaris, aut ab eodem medio recedat, vel transit ante illud, toties genuflectat unico tamen genu.

Generaliter insuper, quando debet osculari Altare, genuflectique in hac Missa, servanda est hæc regula. Cum Celebrans est jam in medio Altaris, ut post *Kyrie*, & ante Offertorium, quando dictum est *Credo*, debet prius osculari Altare, postea genuflectere: cum vero venit a cornu Evangelii, ut quando post Evangelium, non dicitur *Credo*, vel a cornu Epistolæ, ut post Communionem, & post ultimam Orationem, tunc debet prius genuflectere, postea Altare osculari. Ratio horum est, quia genuflexio, accedendo ad medium Altaris, debet fieri primo loco, recedendo ab Altari, ultimo loco. Hæc omnia ad literam excerpsimus

pſimus ex prænotatis auctoribus.

Tonellius vero pro coronide hujus capitis notat, quod ſi urgente neceſſitate, in dicto Altari miniſtretur Euchariſtia, Sacerdos vertens ſe ad populum cum Sacramento dicturus *Ecce Agnus Dei*, *&c.* ſtet in medio Altaris more ſolito, attendens ſolum ad illud, quod præ manibus habet, & item ſervatur feria quinta in Cœna Domini, in Communione Cleri, cum ibi præſcribatur converſio ad communicandos, more ſolito, & ita habetur in Cęremon. Epiſcop. *lib.* 2. *cap.* 23. Sed cum dicit: *Miſereatur noſtri*, *&c.* & cum dat benedictionem poſt miniſtratam Euchariſtiam, ſtet in cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento. Hujuſmodi tamen populi communio non eſſet in dicto Altari facienda.

De

De Missa privata coram Summo Pontifice, coram Prælatis, & Principibus in loco suæ Jurisdictionis.

CAPUT XI.

Quæ servanda sunt in hac privata Missa?

Sacerdos, si celebret coram Cardinale ubique terrarum, coram Patriarcha, & Archiepiscopo in tota sua Provincia, coram Episcopo in sola sua Diœcesi, coram Nuncio, & Legato Apostolico in loco suæ legationis, servet sequentia, dummodo vero Prælatus, ut persona publica, sit genuflexus in Ecclesia ante medium altaris, nisi aliud loci situs impediat, aut cornu Epistolæ. Si vero Prælatus sit in loco remoto, ut persona privata, & non ante altare, omnia omittantur a Sacerdote.

Monitus Sacerdos de adventu Prælati paratus accedat ad altare, paret Calicem, quo præparato super altare, more solito, (nam convenit, ut paret omnia ante Prælati adventum, ut statim, ac Prælatus accesserit, inci-

incipiat Missam) redeat ad librum, & stans in cornu Epistolæ versus Altare, ipsum Prælatum expectet, quem advenientem conversus salutet debita reverentia, postea rediens ad medium, facta inclinatione Cruci, vel Sacramento genuflexione, descendat in planum, & sistat se non in medio, sed ad cornu Evangelii aliquantulum conversus ad Prælatum expectans ab eo signum incipiendi, quo dato, inclinet se Prælato profunde, & aliquantulum conversus ad Altare incipiat Missam more solito.

Si non esset ad Altare, antequam perveniat Prælatus, curet saltem, ut ante adventum Prælati paratus sit Calix in medio altaris super Corporale, simul cum Missali ad cornu Epistolæ: & in tali casu cum advenerit Prælatus, accedat ad Altare manibus junctis ante pectus, ubi dato bireto Clerico, non vertens terga Prælato, profunde se inclinet Cruci, vel genuflectat Tabernaculo SS. Sacramenti, & postea faciat profundam inclinationem Prælato, & stans in plano ad cornu Evangelii, semper expectet signum incipiendi, quo

dato,

dato, iterum inclinet se Prælato profunde, & aliquantulum conversus ad Altare, incipiat Missam more solito.

Si vero Calix non sit paratus ad altare, celebrans exeat e Sacristia tecto capite, deferens Calicem præcedente Ministro, & transiens ante Prælatum se illi inclinet similiter tecto capite, postea factis debitis reverentiis omnia peragat, ut supra.

In Confessione ubi dicitur: *Vobis fratres*, &: *Vos fratres* dicat: *Tibi Pater*, &: *Te Pater*, quod dicens Prælato profunde se inclinet, & si sint plures Prælati æquales, dicat in numero plurali; *Et vobis Patres*, & *vos Patres*. Clericus vero more solito aliquantulum conversus ad Celebrantem dicat: *Tibi Pater*, &: *te Pater*.

Dicto: *Oremus*, inclinet se profunde Prælato, accedat ad medium Altaris, ante infimum gradum, & ibi incipiens, *Aufer a nobis*, &c. secreto, ut moris est, ascendat ad Altare, & alia peragat, ut in aliis Missis.

Finito Evangelio celebrans non osculetur librum, nec dicat; *Per Evangelica dicta*; &c. sed liber deferatur per Ministrum osculandus Prælato,

to. Qui Minister ferat librum apertum, nec faciat reverentiam Prælato, nisi libro post osculum clauso, genuflectat, & reposito, ac rursus aperto super Altare, Celebrans prosequatur Missam. Si sint plures Prælati, osculetur librum solum dignior: si sint æquales, ut Cardinales, &c. nullus, neque ipse Celebrans osculetur.

Dicta a Celebrante prima Oratione post *Agnus Dei*, osculetur Altare in medio, & ambabus manibus tenens Instrumentum pacis, quod ei porrigitur a Ministro genuflexo a dexteris Celebrantis, illud osculetur vertens se ad Ministrum, ac dicens: *Pax tecum*, cui respondeat Minister: *Et cum Spiritu tuo*, quo dicto, surgat, & facta iterum genuflexione Sacramento, extergat, ubi osculatus est celebrans, prædictum Instrumentum pacis velo coloris paramentorum ipsius instrumenti manubrio appenso, & deferat illud osculandum Prælato sine ulla reverentia, dicens: *Pax tecum:* deinde post osculum genuflectat Prælato, & reportet cum debitis genuflexionibus, ante, & post, Instrumentum ad Altare, vel credentiam. Si plures sint Prælati,

mini-

minister eis præbeat Instrumentum pacis, incipiens a dignioribus, & post osculum, non vero prius, debitam faciat reverentiam, & qualibet vice extergat illud ante osculum.

Antequam celebrans det Benedictionem, dicto *Benedicat vos Omnipotens Deus*, conversus ad Prælatum, eique profunde se inclinans, & quasi petens ab eo licentiam benedicendi populum, prosequatur dicens: *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, benedicens tantum assistentes a parte, ubi non sit Prælatus, qui si sit in medio, benedicat versus cornu Evangelii.

Post finem ultimi Evangelii, Celebrans adhuc stans in cornu Evangelii, convertat se versus Prælatum, eique profunde se inclinet, nec prius discedat, quam Prælatus abierit, quod si longam moram fecerit, accipiens Calicem, descendat in planum factaque Altari debita reverentia, tecto capite revertatur in Sacristiam, & si transierit ante Prælatum, capite inclinato, & cooperto illum salutet.

Si celebret autem Sacerdos coram

ram Summo Pontifice, accedens ad altare ei genuflectat, & antequam incipiat Missam genuflexus accipiat ab eo benedictionem. Item genuflectat ad Confessionem dicens: *Tibi Pater*, & *te Pater*. Item antequam ascendat ad Altare post Confessionem. Item antequam populo benedicat in fine Missæ. Denique post ultimum Evangelium. Cætera peragat, ut supra.

Si Sacerdos celebret coram Prælatis extraneis, (dummodo non sint Cardinales, quia isti vere ubique terrarum aliquam jurisdictionem habent, & summam in toto Orbe præeminentiam, tamquam consiliarii Papæ, unde, & ubique Mozzetam induunt, indicium jurisdictionis) sive coram proprio in aliena Diœcesi, & si sit Archiepiscopus extra Provinciam, ita se gerat, ac si nulli adessent Prælati. Deferendum tamen est illis osculandum Instrumentum Pacis modo supradicto, & accedendo, & recedendo ab Altari, transeundo ante ipsos, facienda est eis reverentia, capite tamen tecto, tenendo manibus Calicem, secus capite aperto. Finito etiam ultimo Evangelio, honoris gratia semper illis est facienda

da reverentia. Quando vero coram proprio Episcopo extra Diœcesim, vel Archiepiscopo extra Provinciam, sed in privato Oratorio ipsiusmet Episcopi, præsente sola familia, celebratur, tunc omnia sunt observanda, ut supra, ac si esset in propria Diœcesi, & nominandus est in Canone proprius Prælatus, & non Episcopus loci, in quo celebratur, cum neque ipsius Sacerdotis, neque audientium sit proprius Episcopus.

Quod servatur coram Prælatis extraneis, servetur etiam coram magnis Principibus, quibus præter Instrumentum pacis, deferatur etiam liber osculandus post Evangelium, non quidem liber Altaris, quem ipse celebrans osculari debet, sed alius: nullus autem fæminis. Ante benedictionem in fine Missæ non est Principi, vel etiam Regi, facienda reverentia, quia ab eo peti non debet licentia benedicendi populum. Finito tamen Evangelio: ex consuetudine facienda est illi reverentia.

Non esset etiam facienda Confessio in cornu Evangelii coram Principibus, sed in medio Altaris. Prælato enim fit in cornu Evangelii, quia

ad

ad ipsum se debet Sacerdos convertere, dicens: *Tibi Pater*, *&* *Te Pater*. Sed hoc aliquibus in locis consuetudo jam introduxit, & ideo facienda est in hujusmodi locis, advertens vero quod ad confessionem conversio Principi facienda non est, sed more solito dicendum est: *Vobis fratres*, & *Vos fratres*. Hæc omnia collecta fuerunt ex Bauldry, Buongiovanni, Tonellio, Gavanto, & aliis in suis locis ad literam.

De Ritibus a Celebrante servandis in Missa solemni.

CAPUT XII.

OMittere hoc caput, in quo tractatur de Ritibus servandis in Missa solemni a Celebrante, mihi erat intentio, cum hi ritus sint præter intentionem instituti: at nunc videns ego plerosque ex Clericis Missam suam primam canere, aut ad majorem Dei honorem, aut ad oblationes colligendas, stricto calamo pro Sacerdotum Missam canentium levamine hos perpaucos ritus exaro ex authoribus collectos summa

bre-

brevitate, cui unice laboro, remittens prolixitatis amatores ad Bauldry, Buongiovanni, Corsettum, aliosque, in quorum libris fusius una cum Ritibus ab aliis Ministris Missæ solemnis servandis hoc caput invenitur.

Paratis omnibus necessariis, tam pro Altari, quam pro Ministris, post tertiam, vel aliam horam juxta temporum opportunitatem, Celebrans solitis indutus paramentis, & pretiosioribus, sicuti & ministri, antequam exeat e Sacristia, stans versus imaginem, quæ est in eadem, nudo capite, & tunc ministrante Diacono naviculam, & Thuriferario thuribulum, accipiat de manu Diaconi cochlear, & sinistram tenens infra pectus positam, ter ex navicula sumat thus eadem cochleari, & ter ponat in Thuribulum tribus distinctis locis, dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis, Amen*. Quę verba sic dispenset, ut in prima thuris impositione dicat: *Ab illo benedicaris*, in secunda *in cujus honore*, in tertia *cremaberis, Amen*. Et statim reddat Diacono cochlear. Deinde dextera signet signo Crucis thus in thuribulo adhuc aperto, nihil di-

dicens, Tum Celebrans incenso benedicto, profunde inclinetur cum Ministris, capite detecto, imagini principali in Sacristia positæ, ac statim capite tecto, procedat ad Altare cum iisdem Ministris præcedentibus, oculis demissis, manibus ante pectus junctis, incessu gravi, & corpore erecto, neminemque per viam salutans; sed si Episcopus, Cardinalis, &c. aut Magnus Princeps, &c. fiat ei obvius per Ecclesiam, tum illis inclinetur. Si vero transeat ante aliquod Altare, faciat id quod dictum fuit supra *de Missa Privata*. Perventus celebrans cum Ministris ante infimum gradum Altaris stans medius inter ministros caput detegat, & biretum Diacono det, quo facto, genuflectat super infimum gradum Altaris, si ibi sit Tabernaculum SS. Sacramenti, alioquin profunde se inclinet.

Erectus Celebrans cum Ministris sacris stans manibus junctis incipiat Missam, & dicens. *In Nomine Patris*, *&c.* se signet a fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dexterum, sinistra infra pectus posita, & jungens iterum manus ante pectus ad

par-

particulam, *Amen*, pronuntiet Antiphonam: *Introibo ad Altari Dei*: aliaque prosequatur, ut supra in Missa privata. Advertat autem Celebrans, ut ita moderate se gerat in iis, quæ sui sunt muneris, ut a ministris omnia modeste, & tempestive fiant, ne nimia festinatione peragant, quæ debent. Advertat item, ut recitet submissa voce, audientibus tamen ministris sacris, ea, quæ in Missis privatis dicuntur clara, & intelligibili voce, ne si attollat vocem, confusionem inter cantores pariat. Excipiuntur tamen ea, quæ sonora voce cantare debet, scilicet: *Gloria in excelsis Deo*, tantum: *Dominus Vobiscum*, & Oratio, seu plures, *Credo in unum Deum* tantum, *Dominus Vobiscum*, *Oremus*, Præfatio, *Pater noster*, *Per omnia sæcula*, *Pax Domini*, & Orationes post Communionem.

Celebrans, dum facit Confessionem, Altari se profunde inclinet, & dum profert verba, *Vobis fratres*, & *vos fratres*; & *Misereatur vestri*, aliquantulum se convertat ad ministros stantes, primo ad Diaconum,

deinde ad Subdiaconum. Dicens ſecreto: *Aufer a nobis, &c.* aſcendat manibus junctis ad medium Altaris, & dicens: *Oramus te, Domine &c.* oſculetur more ſolito Altare, quo oſculato, & dicto *Oremus &c.* ſtans erectus in medio convertat faciem ſuam ad cornu Epiſtolæ, & manu dextera accepto cochleari de manu Diaconi, ſiniſtram tenens infra pectus poſitam, ter e navicula thus accipiat eodem cochleari, & ter immittat in Thuribulum tribus diſtinctis locis, nempe in medio, a dextris, & a ſiniſtris, dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis: Amen.* Quæ verba ſic diſpenſat, ut in prima thuris immiſſione, dicat: *Ab illo benedicaris*, in ſecunda, *in cujus honore*, in tertia, *cremaberis, Amen*: & ſtatim reddat Diacono cochlear, tum dextera manu producat ſignum Crucis ſuper thus poſitum in Thuribulo adhuc aperto, nihil dicens, ſiniſtra tunc ſuper Altare poſita. Prædicto ritu ſemper utatur Celebrans, quoties benedicit incenſum, ſed non eiſdem verbis, ut ad oblata.

Thure impoſito, & benedicto, de ma-

manibus Diaconi accipiat Celebrans Thuribulum, finiſtra manu complectens ſummitatem catenularum juxta manubrium, dextera vero catenulas ſimul junctas prope operculum. Deinde Celebrans ſiniſtram, qua complectitur ſummitatem catenularum juxta manubrium, infra pectus admoveat, eamque teneat immobilem in tota incenſatione, dextera vero tenens eaſdem catenulas ſimul junctas prope operculum, ita ut eadem dextera, quo fieri poterit, globulum prædictum operculi complectatur, ſic teneat Thuribulum, ut proprio pondere in tota intenſione nullatenus moveatur, ac præter motum ab ipſo celebrante impreſſum, nullum alium habeat; ita ut per totam incenſationem verſus, id quod incenſat, ducat commode, & ſecure, & ad ſe cum gravitate, decore, & mora competente reducat.

Tum ad Altare converſus profunde ſe inclinet Cruci, etiam ſi ſit in ea particula veræ Crucis, ſed Tabernaculo SS. Sacramenti, ſi adſit, genuflectat, extremitatibus manuum ſuper Altare poſitis, ut facilius genuflectere, & ſurgere valeat. Elevato

deinde Thuribulo, ter incenſet Crucem in medio tantum æquali ductu, ita ut ad unumquemque ictum tantillum quieſcat, ac tractim ducat Thuribulum, nihil dicens, neque in tota hac incenſatione, ac iterum facta Cruci reverentia, vel genuflexione Sacramento, quod ſi adſit in Tabernaculo omnino non eſt incenſandum, ſecus ſi ſit expoſitum incenſet Altare, incipiens a latere Epiſtolæ, & faciem totam quaſi ad illud convertens ducat Thuribulum verſus poſteriorem Altaris planitiem, quæ eſt illa pars Menſæ, ubi ponuntur Candelabra, recta linea, triplici ductu, & æquali diſtantia, prout Candelabra diſtribuuntur; eorum tamen ratio non habeatur, ſive plura, ſeu pauciora fuerint, ad numerum incenſationum, etenim ipſa tantum poſterior planities, ſeu menſa Altaris, in qua ſunt Candelabra, incenſetur linea recta a medio ejus, uſque ad cornu Epiſtolæ, non ipſa autem candelabra. Ducat vero Thuribulum, & ſimul procedat, movendo pedem illum prius, qui eſt proprior Altari, totque paſſus omnino faciat, quot thuribuli tractus, niſi

for-

forſan Altaris longitudo eos aliter metiri cogat: manus enim cum pede, quantum fieri poteſt, concordet motu, ut inceſſus inceſſu Thurificationi ex æquo reſpondeat. Advertat Celebrans, ut ſe in Thurificatione graviter, & cum decore ſe gerat, non perſonam, aut caput, dum Thuribulum ducit, reducitque, movens.

Cum celebrans pervenerit ad cornu Epiſtolæ, demiſſa manu aliquantulum inclinatus thurificet partem illius inferiorem lateralem, tum ſuperiorem ejuſdem lateris, bis ducendo Thuribulum, ſemel in parte inferiori, ac iterum ſemel in ſuperiori; deinde converſus ad Altare, & facie quaſi ad medium vertens, elevet manum, & incenſet ejus planitiem anteriorem, ſeu menſam Altaris in parte anteriori circa oram, ter ducens Thuribulum velut per tres ſemicirculos, uſque ad medium Altaris procedendo.

Perveniens ad medium profunde inclinet ſe Cruci, vel genuflectat Santiſſimo Sacramento, ac poſteriorem Menſæ Altaris partem, ubi collocantur candelabra, thurificet a latere Evangelii ter ducens Thuri-

bulum recta linea a medio, usque ad Cornu Evangelii, ut in cornu Epistolæ, tum parum inclinatus incenset semel inferiorem, & semel etiam superiorem partem lateralem ipsius cornu Evangelii. Deinde stans adhuc, & elevans Thuribulum, nec ultra progrediens, nisi longitudo Altaris cogat aliquantulum procedere, incenset planitiem anteriorem, seu mensam circa oram in cornu Evangelii, triplici ductu ducens Thuribulum, quasi per tres semicirculos, ut supra, nisi quod in parte Epistolæ ducat Thuribulum a cornu Epistolæ ad medium, & hinc a cornu Evangelii ad medium Altaris, nec ibi faciat reverentiam altari debitam, quia tunc numquam accedat ad medium, sed statim quasi retrocedat ad cornu Evangelii, ubi manu tenente Thuribulum aliquantulum demissa, incenset partem illius anteriorem, seu Altaris frontem, vulgo *Parapetto*, ter ducens recta linea thuribulum a cornu Evangelii, usque ad medium Altaris, ad quod interim progrediatur.

Perveniens ad medium profunde se inclinet Cruci vel genuflectat Sacra-

cra-

crimento, & similiter incenset triplici ductu reliquam faciei, quæ est vulgo *Parapetto*, partem a medio usque ad cornu Epistolæ, quo facto, reddat utraque manu Thuribulum Diacono, & stans junctis manibus ante pectus, sinistro brachio quasi tangens frontem Altaris incensetur triplici ductu cum profundam inclinatione a Diacono ante, & post, cui Celebrans nec modicum quidem caput inclinet.

Si super Altare sint Reliquiæ inclusæ in capsulis, vel imagines Sanctorum majores argenteæ, aut aliæ sculptæ inter candelabra, (statuæ scilicet, non figuræ in muro, vel Tabellulis depictę, vel circa Tabernaculum sculptæ,) incensata Cruce, & facta illi profunda reverentia, vel genuflexione SS. Sacramento antequam discedat e medio altaris, primo incenset eas, quæ a dextris sunt, idest in parte Evangelii, bis ducens Thuribulum tantum, quamvis plures, vel pauciores fuerint Reliquiæ, aut imagines, nec illis inclinet se ullo modo, ante, vel post incensationem, incipiens semper in thurificando ab eis, quæ Cruci, vel Tabernaculo

ſunt proximiores, & facta iterum Cruci reverentia, vel Sacramento genuflexione, ſimiliter, & eodem modo bis incenſet eas, quæ ſunt a ſiniſtris, ideſt in parte Epiſtolæ: tum abſque ulla reverentia, vel genuflexione, ſine mora, altare modo ſupra dicto thurificet.

Si in Altari ſit Tabernaculum SS. Sacramenti non expoſiti, Celebrans ei genuflectat ante, & poſt incenſationem, & dum tranſit ante illud. Sed hoc tantum intelligendum eſt de ſolo tranſitu in ipſo thurificationis actu, non autem de quovis alio tranſitu tempore Miſſæ.

Celebrans poſt incenſationem Altaris, & ſui ipſius, ſtans in cornu Epiſtolę ſubmiſſa voce legat Introitum in Miſſali, ſe ſignans cum Miniſtris, & ad verſum, *Gloria Patri*, inclinet ſe Cruci cum iis. Dicto Introitu, adhuc ibidem cum iis, dicat alternatim: *Kyrie eleiſon*: quo dicto, ibidem etiam remaneat, donec cantetur ultimus *Kyrie* a choro. Dum autem chorus cantat ultimum *Kyrie*, celebrans vadat ad medium altaris, & ibi intonet: *Gloria in excelſis Deo*, disjungens, & ante pe-

ctus

ctus extendens manus ad verbum, *Gloria*, tum eas elevet usque ad humerorum altitudinem, dicens: *in excelsis*: & dicens: *Deo*, manus iterum jungat ante pectus, non elevans oculos, sed tantum caput inclinans; quem hymnum intonatum postea simul cum Ministris submissa voce prosequatur usque ad finem. Si, hymno dicto, Celebrans velit sedere, facta debita reverentia Altari, per latus Epistolæ, præcedentibus Ministris, procedat ad sedem præparatam, ubi medius sedeat inter Diaconum, & Subdiaconum, & caput birreto aperiat porrecto a Diacono. Sic sedens celebrans, manus super genua hinc inde expansas aliquantulum a se invicem distantes, digitis tamen junctis inter se teneat. Procedat ita tempestive ad sedem, ut non sit in via, dum cantatur in choro, *Adoramus te*, aut quid aliud ad quod inclinandum est; & si hoc eveniat, inclinet se ad altare. Dum Celebrans sedet, ac chorus cantat verba, ad quæ fieri debet inclinatio, caput nudum inclinet ipse cum Ministris, & postea tegat.

Advertat Celebrans, quod dum se-

det ad: *Gloria in excelsis*, & *Credo*, si elevetur SS. Sacramentum in Altari, quod sit proximum, & in conspectu ipsius celebrantis, debet assurgere cum Ministris, & detecto capite genuflectere, & adorare Sacramentum, donec Sacerdos deposuerit Calicem, & ratio est, quia non est impeditus; quod si id contingat, cum e sede sua redit ad Altare, non ideo sistat, sed prosequatur cœptum iter.

Circa finem Hymni Angelici, nimirum post ultimum: *Jesu Christe*, celebrans adhuc sedens det biretum suum Diacono, & surgens, præcedentibus omnibus Ministris, per planum Capellæ procedat ad altare, ubi ante infimum gradum profunde inclinet, vel genuflectat, si adsit Sacramentum, & manibus junctis ad medium altaris ascendat.

Si celebrans non sedeat ad Hymnum, stet in medio Altaris, donec fuerit integre decantatus, inclinans se quando opus est Hymno a Choro decantato, Celebrans osculetur altare in medio, manibus hinc inde super eo extensis, quo osculato, manibus junctis ad populum

se

ſe convertens, dicat, extendens, elevans, & iterum jungens manus: *Dominus vobiſcum*, quo dicto rediens per eamdem viam ad librum in cornu Epiſtolæ dicat inclinans ſe Cruci: *Oremus*, extendens, & jungens etiam manus, quas ſtatim extendens, elevans, ac rectas ante pectus tenens, ita ut palma unius reſpiciat alterum, & digitis ſimul junctis, quorum ſummitas humerorum altitudinem non excedat, dicat Orationem, ſeu orationes, voce canora; poſtea canente Subdiacono Epiſtolam, ipſe illam interim ſubmiſſa voce legat, & item Graduale, & Tractum, &c. uſque ad: *Munda cor meum* excluſive, & a Subdiacono cantata Epiſtola, Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ, verſa facie ad medium altaris porrigat illi dexteram manum ſuper librum Epiſtolarum, ut eam oſculetur, & illum benedicat nihil dicens, retenta manu ſiniſtra ſuper altare. Data benedictione Subdiacono, procedat ad medium altaris, manibus junctis, ibique profunde inclinatus dicat ſubmiſſa voce: *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, &c. ut ſupra in Miſ-

ſa privata: hinc accedat ad cornu Evangelii, ubi ſubmiſſa voce legat Evangelium manibus junctis, librum, & ſeipſum in principio ſignando, ſed in fine eum non oſculetur, nec dicat: *Per Evangelica dicta*, *&c.* Lecto Evangelio, aliquantulum recedat Celebrans a cornu Evangelii, & accedat fere ad medium Altaris, ita ut ſit inter medium altaris, & cornu Evangelii ante librum, & ſic ſtans, miniſtrante Diacono naviculam, & Thuriferario Thuribulum, imponat, & benedicat incenſum eo modo, quo ſupra dictum eſt in principio Miſſæ; quo facto ſtatim Celebrans adhuc ſtans ut ſupra prope medium altaris, Diacono dicenti, *Jube Domne benedicere*, manibus junctis ſubjungat: *Dominus ſit corde tuo*, *&c.* & cum dixit: *In Nomine Patris &c.* in fine ipſe ſubdens *Amen* benedicat eum dextera, ſiniſtra infra pectus poſita, eamdemque manum dexteram poſtea poſitam ſuper librum in manibus Diaconi exiſtentem tradat in parte exteriori ipſi oſculandam.

Celebrans, data benedictione Diacono, ſtatim facta Cruci profun-

da

da reverentia, vel Tabernaculo genuflexione, retrahat se ad cornu Epistolæ, & dum Diaconus incipit *Dominus vobiscum*, vertat se ad eum respiciens cornu Evangelii, & sic stet manibus junctis, donec absolvatur Evangelium; & cum Diaconus dicit *Sequentia &c.* signet se de more, & cum nominatur *Jesu*, caput inclinet versus Crucem. Si genuflectendum sit, genuflectat versus Altare. Evangelio completo, ibidem stans expectet Subdiaconum librum apertum Evangeliorum deferentem, quem librum ambabus manibus hic inde accipiat, & parum inclinatus osculetur principium Evangelii, dicens: *Per Evangelica dicta &c.* libro osculato, etiam ibidem stans expectet, ut a Diacono triplici ductu incensetur. Postquam incensatus fuerit, procedat manibus junctis ad medium Altaris, ubi intonet Symbolum, si dicendum sit, & dum dicit *Credo*, extendat, & elevet manus: dicens *in Unum*, jungat eas ante pectus: dicens denique *Deum*, caput Cruci inclinet, & statim post intonationem horum verborum prosequatur manibus junctis simul

mul cum Ministris submissa voce reliquum symboli, ut in Missa privata.

Finito Symbolo, si non sit sedendum, ibi stet in medio manibus junctis, & dum dicitur in choro: *descendit de Cælis* cum Ministris descendat ad secundum Altaris gradum, ubi simul cum Ministris in superiori gradu genuflectat, cum dicitur: *Et homo factus est*, caput etiam inclinet profunde, quo dicto surgat, & vadat ad medium, ubi prius erat. Si statim, dicto Symbolo, velit sedere, eo absoluto, procedit ad sedem cum Ministris eo modo, quo ad Hymnum Angelicum dictum est, & quando cantatur in choro: *Et Incarnatus est &c.* caput tantum profunde inclinet apertum. In tribus vero Missis Festi *Nativitatis Domini*, & in die *Annuntiationis B. M. V.* quando cantatur a Choro *Et incarnatus est &c.* tunc celebrans, quamvis sedeat, semper genuflectat cum Ministris capite detecto, & manibus junctis, usque ad finem, prope sedem, vel super infimum gradum Altaris, si via sit brevis. Si Celebrans non velit sedere nisi post cantatum versum *Et Incarnatus est &c.* decet,

cet, ut paulo antequam dicatur *descendit de Cælis*, descendat in planum, ibique genuflectat super infimum gradum, & cantato: *Et Incarnatus est &c.* procedat ad Sedem. Si celebrans stet ad Altare, dum Diaconus defert bursam, ipse cum Subdiacono parum retrahat se ad cornu Evangelii, medium Altaris relinquens Diacono, ut explicet ibidem Corporale, quo explicato redeat, ut prius, ad medium.

Circa finem Symboli cum Ministris, surgat, si sedeat, & ad Altare redeat sicut ad Hymnum Angelicum, si stet ad Altare finito Symbolo, vel statim post Evangelium, si Symbolum non dicatur osculato Altari more solito, dicat canendo: *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, quibus dictis, manibus junctis, & voce submissa prosequatur Offertorium, quo dicto, accipiat ambabus manibus patenam cum Hostia a Diacono, & offerat Hostiam more solito, & finita Oratione: *Suscipe Sancte Pater &c.* cum ea faciat signum Crucis super Corporale, & deponat Hostiam, & Patenam, & statim accedat ad infusionem vini, ut sit ad

suum

ſuum beneplacitum in quantitate, moxque, poſteaquam Subdiaconus parum inclinatus dixit: *Benedicite Pater Reverende*, junctis manibus incipiat: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*; & dum dicit: *Da nobis per hujus aquæ, & vini myſterium*, faciat ſignum Crucis verſus aquam, ſiniſtra ſuper Altare poſita. Hoc facto, de manibus Diaconi accipiat Calicem ambabus manibus, & eum tenens dextera per nodum, & ſiniſtra per pedem, elevans oculos, & ſtatim demittens, offerat dicens: *Offerimus tibi, Domine &c.* & deponat Calicem ſuper Corporale, quem Diaconus cooperiat, officium cujus eſt cooperire, & diſcooperire eumdem, quoties opus ſit. Conſuetas orationes: *In Spiritu humilitatis*, & *Veni Sanctificator &c.* interim proſequatur Celebrans.

Si facienda ſit oblatio a populo, fiat ſtatim poſt dictum a Celebrante Offertorium, non vero poſt oblationem Hoſtiæ & Calicis: & tunc celebrans aliquantulum retrahat ſe a medio Altaris, & ſi opus ſit, ad infimum gradum deſcendat, vel etiam, ſi opus ſit, procedat ad cancellos,

& me-

& medius inter Diaconum ſtet, & Subdiaconum, qui colligat oblationes in ſindone, ſi ſit conſuetudo. In fine non detur benedictio populo ullo modo, nec celebrans quicquam dicat; decet autem, ut populus oſculetur rem offerendam, & poſtea manum celebrantis, ex Pontificali Romano in multis locis: ſervetur tamen conſuetudo locorum. Poteſt tamen Crux, aut aliqua imago ſacra dari oſculanda ex more multarum Eccleſiarum.

Dicto *Veni Santificator*, ut ſupra miniſtrante Diacono naviculam, & dicente, *Benedicite, Pater Reverende*, & etiam miniſtrante Thuriferario Thuribulum ut initio Miſſæ, Celebrans, ſiniſtra poſita infra pectus, ter imponat thus in Thuribulum, nempe in medio, a dextris, & a ſiniſtris, dicens: *Per interceſſionem &c.* ut in ordine Miſſæ, ſic diſpenſans verba, ut ad verbum *Benedicere* non ante, neque poſtea, reddito prius cochleari Diacono, ſignum Crucis ſuper thus poſitum in Thuribulo manu dextera producat, ſiniſtra tunc ſuper Altare poſita. Tum accepto de manu Diaconi Thuribulo, eodem modo,

& or-

& ordine, quo dictum est supra initio Missæ, nulla prorsus facta Cruci reverentia, neque genuflexione Sacramento, etiam exposito incenset oblata, ducens ter Thuribulum super Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis recta linea, & transversa, non autem veluti quatuor puncta designando. Postea demittens aliquantulum Thuribulum, ita ut summitas operculi non altius elevetur quam summitas cuppæ ipsius Calicis, illud ter ducat circum Calicem, & Hostiam omnino, scilicet in circulum bis a manu dextera ad sinistram, transiens prius inter Calicem, & Crucem, & denique semel a sinistra ad dexteram; (dexteram hoc loco, & sinistram Celebrantis intellige) dispensans verba in qualibet incensatione hoc pacto. In prima incensatione, signando oblata dicat, *Incensum istud*, in secunda, *a te benedictum*, in tertia, *ascendat ad te Domine*, in quarta vero demittendo thuribulum, & illud ducendo circum oblata, *Et descendat super nos*, in quinta *Misericordia*, in sexta, & ultima, *Tua*, deinde facta de more Cruci profunda reverentia, vel si ad-

fit Sacramentum, genuflexione, incenset Crucem triplici ductu, Reliquias, seu Imagines, si adsint, Altare, ut supra initio Missæ, dicens interim *Dirigatur Domine oratio mea &c.* ut in ordine Missæ. Quæ verba sic distribuat, & ita proferat, ut eodem tempore finiantur, quo absolvitur Altaris incensatio. Sic autem solent communiter distribui. Ad incensationem Crucis dicat: *Dirigatur Domine oratio mea*, ad incensationem Altaris a parte Epistolæ, *Sicut incensum, &c.* & a parte Evangelii: *Pone Domine &c.* Statimque incensatione finita, in cornu Epistolæ reddat Diacono thuribulum, ut supra, dicens: *Accedat in nobis &c* & triplici ductu incensetur a Diacono, ut initio Missæ. Interim Celebrans, postquam incensatus fuerit, stans adhuc in cornu Epistolæ, lavet manus, ac tergat, ministrantibus Ceroferariis ampullam aquæ cum bacili, & Mappulam. Lotis, ac tersis manibus, redeat ad medium Altaris, ubi alia peragat, ut in Missa privata, dictisque secretis, decenti, & digno cantu in medio Altaris Præfationem canat usque ad *Sanctus*, exclusive,

nam

nam a *Sanctus* usque ad ultimum *Hosanna in excelsis* dicat submissa voce cum Ministris. Postea reliqua, usque ad orationem Dominicam faciat, ut in Missa Privata, excepto quod non discoperiat, nec cooperiat Calicem.

Post verba *Per quem omnia &c.* & post consuetas cruces, adorato in Altari Sacramento cum solitis genuflexionibus, suavi voce canat Orationem Dominicam, in cujus fine, accepta inter indicem, & medium digitos a Diacono Patena, dicens: *Libera nos &c.* cum illa signet se, postea cum debitis reverentiis, facta hostiæ divisione, immittens in Calicem particulam solitam, dicat cum cantu: *Per omnia sæcula sæculorum*, & *Pax Domini &c.* & iterum facta genuflexione, erectus cum Ministris capite inclinatus more solito, & submissa voce, dicat: *Agnus Dei &c.*

Dicta prima Oratione ante Communionem, videlicet: *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis &c.* & osculato Altari in medio, & aliquantulum se convertens ad Diaconum, det ipsi Diacono pacem, extremitates digitorum super ponens Diaconi brachia prope humeros, sinistris

genis

genis sibi invicem appropinquantibus sine ullo contactu, dicensque: *Pax tecum*. Si vero adsit assistens pluviali paratus, det celebrans pacem, huic, quo facto, prosequatur cætera usque ad communionem, ut in missa privata.

Postquam Celebrans sumpsit ablutionem, & os suum purificatorio extersit, relinquat Subdiacono Calicem abstergendum, & parandum, ut prius, & redeat ad cornu Epistolæ lecturus Communionem, qua lecta voce submissa, vadat ad medium Altaris, & eo osculato, dicat versus populum solemni cantu: *Dominus vobiscum:* & reversus ad cornu Epistolæ similiter canat orationem, vel orationes post Communionem, quibus dictis omnino cum conclusionibus suis relinquens librum apertum, redeat ad medium Altaris, ut supra, iterum canat dicens: *Dominus vobiscum*: & ibi manibus ante pectus junctis, demissis ad terram oculis, stet, donec Diaconus perficiat canere: *Ite Missa est*: tum cum eo vertat se ad Altare, & dicat secreto: *Placeat tibi Sancta Trinitas &c.* postea eodem modo, & voce sub-

submissa, semel benedicat populum, postremo ministrante Subdiacono, si opus sit, dicat Evangelium S. Joannis, vel aliud juxta temporis diversitatem.

Finito Evangelio, Celebrans medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a sinistris, stans in medio Altaris, faciat cum eis Cruci inclinationem, deinde descendat cum eisdem in planum ante gradus, sic, ut Celebrans cum Subdiacono vertat se per latus suum dexterum, Diaconus vero per sinistrum; tum Celebrans cum omnibus aliis sacris Ministris faciat debitam reverentiam, & accepto bireto a Diacono, caput tegat, & junctis ante pectus manibus, eodem modo, quo venerat, facta salutatione Choro, ut initio Missæ, in Sacristiam redeat. At cum illuc pervenerit, facta Cruci, vel imagini reverentia simul cum Ministris detecto capite, eat ad locum, ubi sumpsit paramenta, ibique se exuat, & paramenta deponat, adjuvantibus sacris ministris, qui porrigant osculanda paramenta, quæ initio Missæ osculatus est.

Cæteras cæremonias, quas omisimus,

mus, ut non ſpectantes ad ſolemnem ritum, vide in Miſſa privata. Qui autem deſiderat videre ritus ſervandos a ſacris Miniſtris, & ab aliis, legat *cap.* 1. 2. 3. *&* 5. *hujus Epitomes*, vel fuſius Manuale Bauldry, & Sylvam Buongiovanni, ubi præter prædictos ritus, inveniet etiam Celebrantis Sacrorum Miniſtrorum, & aliorum ritus ſimul deſcriptos, ex quibus hęc pauca ad literam per nos collecta fuerunt.

De Rubricis præceptivis in Celebratione Miſſæ ſub culpa mortali ſervandis.

CAPUT XIII.

Ritus, & Rubricæ ad celebrandam Miſſam præſcriptæ, obligant ne ſub gravi culpa?

VEl Rubricæ ſunt præceptivæ, vel directivæ tantum. Si præceptivæ, obligant ſub peccato, & quidem mortali ex genere ſuo, niſi excuſet parvitas materiæ, vel inadvertentia. Directivæ autem cum ſint de conſilio, non ita obligant, ſi ſcandalum, & contemptus excludatur.

Quo-

Quomodo discerni potest, has, vel illas Rubricas esse præceptivas, ideoque obligare sub culpa gravi, vel directivas esse tantum, ideoque eximere a mortali?

Gavantus *in Rub. Miss. p. 3. tit.* 11. hanc regulam ponit: Illæ Rubricæ, in quibus dicitur *graviter*, vel *gravissime* peccari a transgressore, & illæ, in quibus agitur de integritate Sacrificii, vel Sacramenti, ut de pane, vino, aqua, intentione, forma, & sumptione utriusque speciei, & illæ in quibus Doctores communiter concordant, eas esse de re gravi, & sub mortali observandas esse, sunt præceptivæ, atque adeo eas non observans, peccat mortaliter: cæteræ sunt, vel prope præceptivæ, quæ sunt illæ, de quibus disputant Doctores, vel dubiæ, vel mere directivæ, atque adeo non peccat mortaliter transgressor.

De Lugo *de Euchar. disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 104. March. *de or. tr.* 3. *p.* 3. *c.* 6. ponunt hanc expeditiorem regulam, dicentes, omnes Rubricas esse, ut tales, directivas: & solum illas censendas esse prçceptivas, quç prçcipiunt, vel notant aliquid, quod alias ex Ju-

re, vel ex legitima consuetudine graviter præcipitur, vel quod expresse per ipsas Rubricas sub mortali notatur.

Hinc Rubricæ de servando jejunio ante celebrationem Missæ, De integritate Sacrificii, De loco celebrandi, De præmittenda Confessione peccati mortalis, De ara consecrata, De lumine, De hora celebrandi, De Ministro, De vestimentis, instrumentisque sacris, eorumque numero, munditia, integritate, & benedictione, De Canone integre, vocaliter, & secrete recitando, De prima purificatione cum vino, De Materia Sacramenti, idest, Pane triticeo, Vinoque de vite, De pane azymo in Ecclesia latina, De reverentia tanto Sacramento debita, & si quæ alia sunt similia, merito sunt præceptivæ, quia vel a jure naturæ, vel Divino Christi Domini, vel Ecclesiastico præcipiuntur.

Contra, Rubricæ de orando ante, vel post Missam, De numero Orationum, De servando officio duplici primæ Classis, vel secundæ, De Missa non approbata, nisi pro quibusdam Ecclesiis, De orationibus ad ve-

stes sacras induendas, De principio auroræ, & fine meridiei, De Cruce in altari, De pedibus calceandis, De veste talari, De Pileoli usu, a quo concedatur, extra Canonem, quæ vocantur a Gavanto *Dubiæ*; De Matutino, & Laudibus ante Missam, De mappis tribus, De Luminaribus, cereis, quæ ab eodem appellantur *prope præceptivæ*, & De similibus, cum non præcipiantur ab ullo jure solum erunt directivæ sine onere peccati mortalis; dummodo non negligantur hæ cum scandalo, vel ex contemptu, ad quem contemptum reducit Gavantus illam intolerabilem negligentiam, qua quis non curat eas perpetuo, seu, ut plurimum, non servare; hic enim implicite videtur contemnere. Contemptum vero, seu Scandalum judicabis peccata gravia, vel levia ex materia gravi, vel parva, & intentione Sacerdotis. Denique dummodo non negligantur animo inducendi novum ritum in Ecclesia, hoc enim per se grave est, graviter prohibitum a Pio V. initio Missalis, & Concilio Tridentino *sess.22.in Decreto de observand.&c.* vel ob finem graviter peccaminosum, v. g. si quis ob finem turpiter placendi fœminæ, brevius, &
sine

fine cæremoniis facrum legat, hoc enim ratione finis mali eft mortale. Pofitis his regulis, deveniendum nobis eft ad cafus particulares, & in primis fit fermo de Rubricis præceptivis, quas violat.

I. Qui non confecrat utramq; fpeciem, fed folum panem, vel folum vinum.

II. Qui confecrat quidem utramque fpeciem, fed utramque non fumit.

III. Qui profert verba Confecrationis fuper materiã, quę facrificanti non fit moraliter præfens. Qua de re fupra *De Presbyteratus ordine c.31.quæf.164.*

IV. Qui confecrat materiam non certam, neque determinatam in particulari. Verum in his cafibus non folum committitur culpa mortalis, fed etiam non conficitur Sacramentum, vel faltem non perficitur Sacrificium. Qua de re fupra *de Presbyteratus ordine cit. cap. 31. quæfit. 169. & feq.*

V. Qui fcienter confecrat panem triticeum quidem, fed confectum ex aqua non naturali, feu rofacea, aut alio liquore in notabili quantitate. Tunc enim dubium redditur Sacramentum.

VI. Qui advertenter confecrat panem, vel vinum corruptum, vel in via ad corruptionem. Quid autem

Sacerdos agere debeat, si sumpturus Hostiam, vel vinum, advertat, Hostiam esse corruptam, vel aquam pro vino appositam, vide supra *c.* 31. *quæsit.* 180. *&* *seq.* *&* infra *num.* 14.

VII. Græcus, qui in Ecclesia græca consecrat in azymo, & Latinus in Ecclesia Latina in fermentato. Qui non excusantur neque ob necessitatem communicandi infirmum.

VIII. Qui vino non miscet aquam, vel miscet non naturalem, vel miscet naturalem, sed in tanta quantitate, ut æquet, vel superet quantitatem vini.

IX. Qui extra necessitatis casum consecrat mustum, si multum fæcis admixtionem habeat. Quia tunc dedecet tanti Sacramenti dignitatem.

X. Qui in consecratione panis, vel vini omittit conjunctionem *enim*, & multo magis peccaret mortaliter, qui in forma Sanguinis diceret solum: *Hic est enim Calix Saguinis mei*, omissis aliis consuetis.

XI. Qui in forma panis, vel vini adderet, vel demeret verbum aliquod, quamvis significationem non tolleret.

XII.

XII. Qui dimidiat, vel etiam totaliter comprimit verba in Miſſa, in notabili quantitate, vel in aliqua parte principali Miſſæ, dummodo hoc fiat abſque ulla neceſſitate, aut phyſica impotentia, qualis eſt in balbutiente.

XIII. Qui habens conſcientiam peccati mortalis celebrat ſine confeſſione, habens Confeſſoris copiam. Quod ſi urgeat celebrandi neceſſitas, & copia deſit Confeſſarii, debet ſub mortali elicere actum contritionis vel ſaltem attritionis, quæ prudenter exiſtimetur contritio.

XIV. Qui aliqua cenſura innodatus, vel alio canonico impedimento detentus, ſcienter, & mala fide ſacrum facit.

XV. Si Sacerdos celebret injejunus, præter quam in ſequentibus caſibus. Primo, ſi immemor cibi, vel potus ſumpti jam acceſſerit ad Altare, a quo ſine ſcandalo recedere non poſſet, vel facta eſſet conſecratio. Secundo, ſi in ſumptione Calicis deprehendat fuiſſe appoſitam aquam, non debet illam in Calicem effundere, vel in terram expuere, ſed debet deglutire, aliudque vinum,

& aquam dissimulanter infundere, mox verba consecrationis Calicis proferre, incipiendo a *Simili modo*, omissaque elevatione, sanguinem sumere. Nam Sacrificium necessario perficiendum est, jejunium autem servare eo casu est moraliter impossibile. Gavant. *p.* 3. *tit.* 4. Bonac. *disp.* 4. *q. ult. punct.* 10. *num.* 7. Tertio, si sumpta ablutione, inveniat particulas in corporali, quæ non possint in Altari asservari; tunc enim debet eas sumere. Quarto, si post sumptam ablutionem, inveniat particulam consecratam adhuc inhærere Calici, vel oris palato, melius est superinfundere vinum, & sumere. Quia ejusmodi particulæ sumptio spectat ad unum, & idem sacrificium, & moraliter censetur unica actio.

XVI. Qui celebrat ante, vel post præscriptum ab Ecclesia tempus, quod est ab aurora usque ad meridiem, excepta nocte Nativitatis Domini. Per auroram intelligitur initium crepusculi, quod contingit ante Solis ortum una hora cum dimidio. Celebrantem præterea post meridiem tribus horæ quadrantibus, vel etiam integra hora a mortali excusat Bo-

nac.

nac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst. ult. p.* 9. *num.* 7. Navar. vero *cap.* 25. *num.* 81. vult licite celebrari etiam duabus horis post meridiem, ob causam itineris, vel solemnis Festi, aut publicæ functionis.

XVII. Qui Sacrificium Missæ celebrat in loco ab Episcopo non consecrato, vel non benedicto, aut saltem ad divina officia non deputato. Quibus autem casibus Ecclesia violetur, & polluatur, vide in Directorio *cap.* 39. *quæs.* 412. *& seq.*

XVIII. Qui celebrat sine vestibus benedictis, integris, & mundis, quæ debent esse sex, scilicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula. Quæ vestes amittunt benedictionem, cum amplius non sunt aptæ ad usum, ad quem sunt institutæ. Qua de re vide in Directorio *cap.* 40. *quæs.* 418. 419. *&* 423.

XIX. Qui celebrat sine Altari, aliisque requisitis, quæ sunt decem, videlicet Ara, Mappa saltem duplex, Corporale, Palla, Calix cum Patena, Velum, Missale, lumen, Crux, & Minister. In necessitate tamen celebrare sine aliquo ex prædictis, non esse mortale, tenet Filliuc.

tr. 5. *c.* 4. *q.* 10. *num.* 127. de quo in *cap. seq. num.* 6.

XX. Qui omittit partem notabilem, ad integritatem Missæ spectantem, v. g. Psalmum *Judica*, Confessionem, & preces, quæ dicuntur ante Altare, Introitum cum orationibus, vel principalem Missæ Orationem, Epistolam, Evangelium, Oblationem tum Hostiæ, tum Calicis, cum suis orationibus, Præfationem, vel quamlibet Canonis Orationem, imo aliqua verba, puta quatuor, vel quinque. Omissio vero minoris partis culpam venialem non excedit, de quo *in cap. seq. num.* 3.

XXI. Qui sine justa causa diu celebrare differt susceptas Missas, post acceptum stipendium, vel præstita promissione, etiam non accepto stipendio. Bonac.*disp.*4. *de Sacram. qu. ult. p.* 7. *sect.* 5. *num.* 1. de quo supra in Directorio *c.* 37. *quæs.* 390.

XXII. Qui celebrat feria sexta in Parasceve, quod prohibitum est *cap. Sabbato de consecrat. dist.* 3. Feria vero quinta, antequam ligentur campanæ, & Sabbato Sancto, post pulsationem Campanarum, privatim celebrare non esse illicitum, docet Barbos.

de

de offic. & poteſt Paroch. cap. 11. *num.* 42. Sed in hac reſpectanda eſt conſuetudo locorum. Vide ſupra in Directorio *cap.* 38. *quæſ.* 392. 393. & 394.

XXIII. Qui ſine privilegio, vel licentia celebrat capite operto: ſicuti conſtat ex *cap. Nullus Epiſcop. de conſecrat. d.* 3. Si tamen id ſuaderet neceſſitas, nec poſſet tunc commode peti, & obtineri diſpenſatio, ſeſcluſo ſcandalo, & contemptu, nullum eſſet peccatum.

XXIV. Qui ſine gravi, & urgente cauſa inchoata intermittit Miſſam. Gravis autem, & urgens cauſa eſſet, ſi celebrans recordaretur, ſe non eſſe jejunum, vel cenſura exiſtere innodatum: aut adverteret adſtare Miſſæ excommunicatum, qui monitus nollet diſcedere: deberet enim inchoatam dimittere Miſſam, ſi nondum conſecraſſet, neque timeretur ſcandalum.

XXV. Addunt aliqui cum S. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 2. ſi celebrans, dicto Evangelio, iteret Miſſam in gratiam perſonarum de novo advenientium, ipſum a mortali non excuſari. Oppoſitum tamen videtur ſentire Nav. *Miſcel. de conſ.* Quia nulla

lege (ait) videtur prohibitum, ne talis iteratio justa de causa fiat. Sed opinio S. Thomæ omnino est tenenda.

XXVI. Peccare tandem mortaliter Sacerdotem: qui in Missa aliquid notabile (maxime dum publice orat) addit, vel detrahit, aut mutat, circa ritus, cæremonias, & rubricas in Missali præscriptas, colligitur *ex Bulla* Pii V. *Missali præfixa*, & docent communiter Doctores apud Reginald. *lib.* 33. *num.* 210. Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *quæst. ult. p.* 7. *paragr.* 3. *num.* 3. *& punct.* 10. *numer.* 19. Dian. *p.*5.*tr* 5.*resol.*63. Quod verum est, etiamsi Celebrans aliquid adderet ex devotione tantum, aut quia id melius esse judicaret, teste Molin. *in Instr. Sacerd. tr.* 3. *cap.* 11. *paragr. ult.*

Dixi *dum publice orat*. Quia privatim, & secrete addere orationem aliquam mentalem, vel mixtam ex mentali, & vocali, maxime dum, peracta consecratione, adoramus Hostiam, & Calicem, easque populo adoranda ostendimus, non solum licitum est, sed etiam laudabile, ut pie, & sapienter monet Navar. *cap.* 19. *de orat. num.* 109.

Fil-

Filliuc. *tr.* 5. *de Euchar. cap.* 6. *nu.* 156. Gartia *tr.*3. *diffic.* 8. *dub.*6.*punct.* 1. *n.* 7. Suarez *disp.* 83. *sect.* 3. aliique dicunt, quod si Sacerdos non intendat aliquid addere officio Missæ, sed ut privata persona privatim aliquam devotionem secrete recitet, erit indiscreta actio, & peccatum veniale, sacrum ministerium privatis precibus omnino ab illo distinctis interrumpendo. Ideo opinio Navarri supra data omnino est rejicienda.

XXVII. Postremo pro consolatione Sacerdotum, quibus unice laboro, non omittam ex Escobar *lib.* 1. *Exam.* 11. *nu.* 92. & Tambur. *lib.* 2. *capit.* 5. *paragr.* 2. *num.* 30. hanc tradere regulam, nimirum quoties ipsi ex ignorantia, vel perturbatione animi transgrediuntur aliquam ex supra relatis Rubricis, & proinde in Missa committunt errorem etiam gravem (dummodo bona fide procedant) iis non imputari ad mortalem culpam, ob defectum sufficientis advertentiæ, & deliberationis. Si tamen ignorantia sit habitualis, tenentur sub mortali dare operam, ut eam emendent. Ad Literam ex Cabrino duximus, aliquibus additis.

niter, omittere ea, quæ tempore Paſchæ, aut alterius feſtivitatis interponuntur in *Communicantes*, vel in *Hanc igitur oblationem*, abſolute, & abſque ulla formidine docent eſſe tantum veniale.

Sed quæres, quando incipiat Canon, quandove deſinat.

Reſp. ſecundum communiorem ſententiam incipere a verbis: *Te igitur clementiſſime Pater*; deſinere autem olim ad *Pater noſter* excluſive, nunc vero ad conſumptionem Sacramenti. Suar. *cit. diſp. 83. ſect. 2. in princ.*

Quarto, Omittere Symbolum Apoſtolicum, quando eſt dicendum, vel *Gloria*, vel unam, alteramve orationem quæ non in omnibus Sacrificiis recitantur, ſed in aliquibus, abſolute venialem culpam non excedit; quia hæc non ſunt partes integrantes Sacrificii abſolute ſumpti, ſed hujus, vel illius diei, & quia ſine ſimbolo, aut *Gloria* ſæpe conſueta Miſſæ forma conſiſtit. Idem eſt, ſi Sacerdos omittat *Kyrie*, Tractum, Graduale, unam, vel alteram Crucem, aut aliquam commemorationem; quia ſunt partes minus notabiles; qui tamen etiam ex his ſimul

ſum-

sumptis plures partes relinqueret, peccaret mortaliter contra præceptum integre recitandi Missam. Cæterum hoc præceptum integre recitandi Missam obligat sicut alia præcepta positiva jejunii, voti, & similium, in quibus parvitas materiæ excusat a lethali. Propter paritatem rationis, & ex levitate materiæ non est nisi veniale omittere *Evangelium S. Joannis* in fine Missę, quia non est pars essentialis Missę. Ita Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 107. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 155. Suarez, Granad. Dicastill. aliique quamplures primæ notæ.

Quinto, etsi pro digitorum ablutione in Missa adhibere solam aquam nullum inducat peccatum, secus tamen dicendum de purificatione Calicis, in qua Sacerdotem, qui solam aquam adhibet, culpæ venialis gravis damnant Sanch. *lib.* 4. *mor. c.* 11. *n.* 43. Tambur. *lib.* 3. *c.* 9. citans Gavant. Quia jura de ablutione digitorum nihil statuunt: statuunt vero de purificatione Calicis facienda vino, non aqua, sed sub obligatione tantum veniali ex *cap. de celebrat. Missar.* Ego vero ex ipsomet Sanchez *loc. cit.* deduco meliori ratione

stes sacras induendas, De principio auroræ, & fine meridiei, De Cruce in altari, De pedibus calceandis, De veste talari, De Pileoli usu, a quo concedatur, extra Canonem, quæ vocantur a Gavanto *Dubiæ*; De Matutino, & Laudibus ante Missam, De mappis tribus, De Luminaribus, cereis, quæ ab eodem appellantur *prope præceptivæ*, & De similibus, cum non præcipiantur ab ullo jure solum erunt directivæ sine onere peccati mortalis; dummodo non negligantur hæ cum scandalo, vel ex contemptu, ad quem contemptum reducit Gavantus illam intolerabilem negligentiam, qua quis non curat eas perpetuo, seu, ut plurimum, non servare; hic enim implicite videtur contemnere. Contemptum vero, seu Scandalum judicabis peccata gravia, vel levia ex materia gravi, vel parva, & intentione Sacerdotis. Denique dummodo non negligantur animo inducendi novum ritum in Ecclesia, hoc enim per se grave est, graviter prohibitum a Pio V. initio Missalis, & Concilio Tridentino *sess. 22. in Decreto de observand. &c.* vel ob finem graviter peccaminosum, v. g. si quis ob finem turpiter placendi fœminæ, brevius, & sine

ſine cæremoniis ſacrum legat, hoc enim ratione finis mali eſt mortale. Poſitis his regulis, deveniendum nobis eſt ad caſus particulares, & in primis ſit ſermo de Rubricis præceptivis, quas violat.

I. Qui non conſecrat utramq; ſpeciem, ſed ſolum panem, vel ſolum vinum.

II. Qui conſecrat quidem utramque ſpeciem, ſed utramque non ſumit.

III. Qui profert verba Conſecrationis ſuper materiã, quę ſacrificanti non ſit moraliter præſens. Qua de re ſupra *De Presbyteratus ordine c.* 31. *quæſ.* 164.

IV. Qui conſecrat materiam non certam, neque determinatam in particulari. Verum in his caſibus non ſolum committitur culpa mortalis, ſed etiam non conficitur Sacramentum, vel ſaltem non perficitur Sacrificium. Qua de re ſupra *de Presbyteratus ordine cit. cap.* 31. *quæſit.* 169. *& ſeq.*

V. Qui ſcienter conſecrat panem triticeum quidem, ſed confectum ex aqua non naturali, ſeu roſacea, aut alio liquore in notabili quantitate. Tunc enim dubium redditur Sacramentum.

VI. Qui advertenter conſecrat panem, vel vinum corruptum, vel in via ad corruptionem. Quid autem

Sacerdos agere debeat, si sumpturus Hostiam, vel vinum, advertat, Hostiam esse corruptam, vel aquam pro vino appositam, vide supra *c.* 31. *quæsit.* 180. *&* *seq.* *&* infra *num.* 14.

VII. Græcus, qui in Ecclesia græca consecrat in azymo, & Latinus in Ecclesia Latina in fermentato. Qui non excusantur neque ob necessitatem communicandi infirmum.

VIII. Qui vino non miscet aquam, vel miscet non naturalem, vel miscet naturalem, sed in tanta quantitate, ut æquet, vel superet quantitatem vini.

IX. Qui extra necessitatis casum consecrat mustum, si multum fæcis admixtionem habeat. Quia tunc dedecet tanti Sacramenti dignitatem.

X. Qui in consecratione panis, vel vini omittit conjunctionem *enim*, & multo magis peccaret mortaliter, qui in forma Sanguinis diceret solum: *Hic est enim Calix Saguinis mei*, omissis aliis consuetis.

XI. Qui in forma panis, vel vini adderet, vel demeret verbum aliquod, quamvis significationem non tolleret.

XII.

XII. Qui dimidiat, vel etiam totaliter comprimit verba in Missa, in notabili quantitate, vel in aliqua parte principali Missæ, dummodo hoc fiat absque ulla necessitate, aut physica impotentia, qualis est in balbutiente.

XIII. Qui habens conscientiam peccati mortalis celebrat sine confessione, habens Confessoris copiam. Quod si urgeat celebrandi necessitas, & copia desit Confessarii, debet sub mortali elicere actum contritionis vel saltem attritionis, quæ prudenter existimetur contritio.

XIV. Qui aliqua censura innodatus, vel alio canonico impedimento detentus, scienter, & mala fide sacrum facit.

XV. Si Sacerdos celebret injejunus, præter quam in sequentibus casibus. Primo, si immemor cibi, vel potus sumpti jam accesserit ad Altare, a quo sine scandalo recedere non posset, vel facta esset consecratio. Secundo, si in sumptione Calicis deprehendat fuisse appositam aquam, non debet illam in Calicem effundere, vel in terram expuere, sed debet deglutire, aliudque vinum,

& aquam dissimulanter infundere, mox verba consecrationis Calicis proferre, incipiendo a *Simili modo*, omissaque elevatione, sanguinem sumere. Nam Sacrificium necessario perficiendum est, jejunium autem servare eo casu est moraliter impossibile. Gavant. *p.* 3. *tit.* 4. Bonac. *disp.* 4. *q. ult. punct.* 10. *num.* 7. Tertio, si sumpta ablutione, inveniat particulas in corporali, quæ non possint in Altari asservari; tunc enim debet eas sumere. Quarto, si post sumptam ablutionem, inveniat particulam consecratam adhuc inhærere Calici, vel oris palato, melius est superinfundere vinum, & sumere. Quia ejusmodi particulæ sumptio spectat ad unum, & idem sacrificium, & moraliter censetur unica actio.

XVI. Qui celebrat ante, vel post præscriptum ab Ecclesia tempus, quod est ab aurora usque ad meridiem, excepta nocte Nativitatis Domini. Per auroram intelligitur initium crepusculi, quod contingit ante Solis ortum una hora cum dimidio. Celebrantem præterea post meridiem tribus horæ quadrantibus, vel etiam integra hora a mortali excusat Bo-

nac.

nac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst. ult. p.* 9. *num.* 7. Navar. vero *cap.* 25. *num.* 81. vult licite celebrari etiam duabus horis post meridiem, ob causam itineris, vel solemnis Festi, aut publicæ functionis.

XVII. Qui Sacrificium Missæ celebrat in loco ab Episcopo non consecrato, vel non benedicto, aut saltem ad divina officia non deputato. Quibus autem casibus Ecclesia violetur, & polluatur, vide in Directorio *cap.* 39. *quæs.* 412. *& seq.*

XVIII. Qui celebrat sine vestibus benedictis, integris, & mundis, quæ debent esse sex, scilicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula. Quæ vestes amittunt benedictionem, cum amplius non sunt aptæ ad usum, ad quem sunt institutæ. Qua de re vide in Directorio *cap.* 40. *quæs.* 418. 419. *&* 423.

XIX. Qui celebrat sine Altari, aliisque requisitis, quæ sunt decem, videlicet Ara, Mappa saltem duplex, Corporale, Palla, Calix cum Patena, Velum, Missale, lumen, Crux, & Minister. In necessitate tamen celebrare sine aliquo ex prædictis, non esse mortale, tenet Filliuc.

tr. 5. *c.* 4. *q.* 10. *num.* 127. de quo in *cap. seq. num.* 6.

XX. Qui omittit partem notabilem, ad integritatem Missæ spectantem, v. g. Psalmum *Judica*, Confessionem, & preces, quæ dicuntur ante Altare, Introitum cum orationibus, vel principalem Missæ Orationem, Epistolam, Evangelium, Oblationem tum Hostiæ, tum Calicis, cum suis orationibus, Præfationem, vel quamlibet Canonis Orationem, imo aliqua verba, puta quatuor, vel quinque. Omissio vero minoris partis culpam venialem non excedit, de quo *in cap. seq. num.* 3.

XXI. Qui sine justa causa diu celebrare differt susceptas Missas, post acceptum stipendium, vel præstita promissione, etiam non accepto stipendio. Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. qu. ult. p.* 7. *sect.* 5. *num.* 1. de quo supra in Directorio *c.* 37. *quæst.* 390.

XXII. Qui celebrat feria sexta in Parasceve, quod prohibitum est *cap. Sabbato de consecrat. dist.* 3. Feria vero quinta, antequam ligentur campanæ, & Sabbato Sancto, post pulsationem Campanarum, privatim celebrare non esse illicitum, docet Barbos.

de

de offic. & poteſt Paroch. cap. 11. *num.* 42. Sed in hac reſpectanda eſt conſuetudo locorum. Vide ſupra in Directorio *cap.* 38. *quæſ.* 392. 393. & 394.

XXIII. Qui ſine privilegio, vel licentia celebrat capite operto: ſicuti conſtat ex *cap. Nullus Epiſcop. de conſecrat. d.* 3. Si tamen id ſuaderet neceſſitas, nec poſſet tunc commode peti, & obtineri diſpenſatio, ſeſcluſo ſcandalo, & contemptu, nullum eſſet peccatum.

XXIV. Qui ſine gravi, & urgente cauſa inchoata intermittit Miſſam. Gravis autem, & urgens cauſa eſſet, ſi celebrans recordaretur, ſe non eſſe jejunum, vel cenſura exiſtere innodatum: aut adverteret adſtare Miſſæ excommunicatum, qui monitus nollet diſcedere: deberet enim inchoatam dimittere Miſſam, ſi nondum conſecraſſet, neque timeretur ſcandalum.

XXV. Addunt aliqui cum S. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 2. ſi celebrans, dicto Evangelio, iteret Miſſam in gratiam perſonarum de novo advenientium, ipſum a mortali non excuſari. Oppoſitum tamen videtur ſentire Nav. *Miſcel. de conſ.* Quia nulla

lege (ait) videtur prohibitum, ne talis iteratio justa de causa fiat. Sed opinio S. Thomæ omnino est tenenda.

XXVI. Peccare tandem mortaliter Sacerdotem: qui in Missa aliquid notabile (maxime dum publice orat) addit, vel detrahit, aut mutat, circa ritus, cæremonias, & rubricas in Missali præscriptas, colligitur *ex Bulla* Pii V. *Missali præfixa*, & docent communiter Doctores apud Reginald. *lib.* 33. *num.* 210. Bonac. *de Sacram. disp.* 4. *quæst. ult. p.* 7. *paragr.* 3. *num.* 3. *& punct.* 10. *numer.* 19. Dian. *p.*5.*tr* 5.*resol.*63. Quod verum est, etiamsi Celebrans aliquid adderet ex devotione tantum, aut quia id melius esse judicaret, teste Molin. *in Instr. Sacerd. tr.* 3. *cap.* 11. *paragr. ult.*

Dixi *dum publice orat*. Quia privatim, & secrete addere orationem aliquam mentalem, vel mixtam ex mentali, & vocali, maxime dum, peracta consecratione, adoramus Hostiam, & Calicem, easque populo adoranda ostendimus, non solum licitum est, sed etiam laudabile, ut pie, & sapienter monet Navar. *cap.* 19. *de orat. num.* 109.

Fil-

Filliuc. *tr.* 5. *de Euchar. cap.* 6. *nu.* 156. Gartia *tr.*3. *diffic.* 8. *dub.*6.*punct.* 1. *n.* 7. Suarez *disp.* 83. *sect.* 3. aliique dicunt, quod si Sacerdos non intendat aliquid addere officio Missæ, sed ut privata persona privatim aliquam devotionem secrete recitet, erit indiscreta actio, & peccatum veniale, sacrum ministerium privatis precibus omnino ab illo distinctis interrumpendo. Ideo opinio Navarri supra data omnino est rejicienda.

XXVII. Postremo pro consolatione Sacerdotum, quibus unice laboro, non omittam ex Escobar *lib.* 1. *Exam.* 11. *nu.* 92. & Tambur. *lib.* 2. *capit.* 5. *paragr.* 2. *num.* 30. hanc tradere regulam, nimirum quoties ipsi ex ignorantia, vel perturbatione animi transgrediuntur aliquam ex supra relatis Rubricis, & proinde in Missa committunt errorem etiam gravem (dummodo bona fide procedant) iis non imputari ad mortalem culpam, ob defectum sufficientis advertentiæ, & deliberationis. Si tamen ignorantia sit habitualis, tenentur sub mortali dare operam, ut eam emendent. Ad Literam ex Cabrino duximus, aliquibus additis.

De Rubricis prope præceptivis, & dubiis ſub culpa veniali, & in celebrando Sacro ſervandis.

CAPUT XIV.

Expoſitis Rubricis ſub mortali reatu præceptivis, recenſe modo Rubricas prope præceptivas, & dubias in celebratione Miſsæ ſub culpa tantum veniali ſervandas?

ILlæ Rubricæ cenſeri debent ſaltem ſub culpa veniali prope præceptivæ & dubiæ.

Primo, quæ præcipit, ut Sacerdos celebraturus, Matutinum cum laudibus recitet ante Miſſam, ut habetur in Miſſali juſſu Pii V. edita. Quamvis enim nonnulli ex Doctoribus antiquis, ut Navar. *in manuali cap.* 25. *num.* 83. exiſtiment, talem Rubricam eſſe præceptivam, & proinde obligare ſub mortali. Nihilominus communis eſt Recentiorum perſuaſio, non eſſe receptam niſi ſub obligatione veniali, quia eſt prope præceptiva. Imo ſi juſta cauſa concurrat, etiam a veniali Celebrantem excu-

excusari. Bonac. *de Sacr. disp.* 4. *qu. ult. punct.* 11. *num.* 105. Tambur. *de Sacrif. l.* 1. *c.* 9. *sect.* 2. Qua de re fusius supra in Directorio *c.* 34. *quæs.* 288.

Secundo, Rubrica, quæ est de dicendis orationibus ad indumenta Sacerdotalia præscriptis, quas Sacerdos sacrificaturus, si absque ulla causa omittat, a veniali non excusatur. Scortia *de Sacrif. c.* 8. Fagund. *præcept.* 1. *l.* 3. *c.* 21. contra Navar. *cit. c.* 25. *num.* 73. & Gavant. *p.* 2. *tit.* 1. *litt. B.* qui omittentem damnant culpæ lethalis.

Tertio, etsi non desint, qui asserunt, Celebrantem, qui vel minimum verbum omittit in canone, culpam mortalem non effugere, eo quod hæc sit pars sacratior sacri, majoremque mereatur religionem. Nihilominus omittere unum, aut alterum verbum, vel unum, aut alterum nomen alicujus sancti, imo tria nomina, (exceptis verbis formæ in consecratione panis, & vini) veniale peccatum non excedere, ob levitatem materiæ, docent Suar. *dis.* 83. *sect.* 3. Card. de Lugo *disp.* 20. *n.* 104. Reginald. *lib.* 29. *sect.* 8. *n.* 207. Unde recte Suarez ibidem, & alii communiter,

niter, omittere ea, quæ tempore Paschæ, aut alterius festivitatis interponuntur in *Communicantes*, vel in *Hanc igitur oblationem*, absolute, & absque ulla formidine docent esse tantum veniale.

Sed quæres, quando incipiat Canon, quandove desinat.

Resp. secundum communiorem sententiam incipere a verbis: *Te igitur clementissime Pater*; desinere autem olim ad *Pater noster* exclusive, nunc vero ad consumptionem Sacramenti. Suar. *cit. disp. 83. sect. 2. in princ.*

Quarto, Omittere Symbolum Apostolicum, quando est dicendum, vel *Gloria*, vel unam, alteramve orationem quæ non in omnibus Sacrificiis recitantur, sed in aliquibus, absolute venialem culpam non excedit; quia hæc non sunt partes integrantes Sacrificii absolute sumpti, sed hujus, vel illius diei, & quia sine simbolo, aut *Gloria* sæpe consueta Missæ forma consistit. Idem est, si Sacerdos omittat *Kyrie*, Tractum, Graduale, unam, vel alteram Crucem, aut aliquam commemorationem; quia sunt partes minus notabiles; qui tamen etiam ex his simul sum-

sumptis plures partes relinqueret, peccaret mortaliter contra præceptum integre recitandi Missam. Cæterum hoc præceptum integre recitandi Missam obligat sicut alia præcepta positiva jejunii, voti, & similium, in quibus parvitas materiæ excusat a lethali. Propter paritatem rationis, & ex levitate materiæ non est nisi veniale omittere *EvangeliumS.Joannis* in fineMissę, quia non est pars essentialis Missę. Ita Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 107. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 155. Suarez, Granad. Dicastill. aliique quamplures primæ notæ.

Quinto, etsi pro digitorum ablutione in Missa adhibere solam aquam nullum inducat peccatum, secus tamen dicendum de purificatione Calicis, in qua Sacerdotem, qui solam aquam adhibet, culpæ venialis gravis damnant Sanch. *lib.* 4. *mor. c.* 11. *n.* 43. Tambur. *lib.* 3. *c.* 9. citans Gavant. Quia jura de ablutione digitorum nihil statuunt: statuunt vero de purificatione Calicis facienda vino, non aqua, sed sub obligatione tantum veniali ex *cap. de celebrat. Missar.* Ego vero ex ipsomet Sanchez *loc. cit.* deduco meliori ratione

ne esse mortale non sumere vinum pro facienda purificatione Calicis; nam si teste Sanchez votum non bibendi vinum non est observandum in purificatione facienda, signum est hanc esse faciendam vino sub mortali, cum observatio voti est sub mortali, igitur ad hoc frangendum requiritur aliquod aliud, quod præceptum sit sub mortali majoris momenti. Verba Sanchez hæc sunt: *Nec voto non bibendi vinum contravenitur sumpto vino in prima Missæ ablutione, ideſt purificatione, quia obligat præceptum Ecclesiæ ad id sumendum cap. ex parte, de Celebratione Missar. ubi Respondemus*, inquit Pontifex, *quod semper Sacerdos vino perfundere debet, postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum. Nec etiam sumpto vino in secunda ablutione, quia votum non intelligitur, ut sit contra communem Ecclesiæ usum, juxta quem Sacerdotes in ea ablutione vino, & aqua utuntur*. Addit Gavant. *loc. cit.* sic: *Abstemii* (ideſt quibus vinam bibere nausea eſt) *non debent sine vino purificare Calicem, Papa inconsulto, ex Romana praxi*.

Sexto, Sacerdos, qui voluntarie distra-

diſtrahitur in celebrando Sacro, non cenſetur delinquere, niſi venialiter. Quia Rubricæ præſcribentes, ut Miſſa devote, & attente celebretur, non cenſetur obligare niſi ſub veniali, dummodo id non accidat in canone: cæteraque rite peragat ſacrificans ſicut etiam ſupra monui *cap.* 6. Vide Tambur. *cit. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. & noviſſime Gobat. *de Sacrif. caſ.* 23. *n.* 821.

Septimo, licet præcedenti *cap. n.* 18. *&* 19. dictum ſit Rubricam præcipientem Sacerdoti, ne celebret ſine requiſitis, ibidem relatis, obligare ſub mortali; celebrare tamen ſine Cruce, vel ſine Miniſtro aut cum una Tobalea eſt juſta cauſa'. Item ſine miſſali, ſi celebrans ſatis confidat de ſua memoria, non excedere culpam venialem, tenet Filliuc. *tr.* 5. *c.* 4. *q.* 10. *n.* 127. Fagund. *præc.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 32. De quo vide in Directorio *cap.* 40.

Octavo, qui in celebratione Miſſæ non utitur veſte talari, ſcilicet oblongo uſque ad talos, non eſt obnoxius niſi culpæ veniali, dummodo abſit ſcandalum, vel Epiſcopus proprius ſpeciali edicto id non prohibeat, nam

tunc

tunc non excusaretur a mortali. Causa tamen itineris celebrare sine talari, modo infra genua se extendat, nullum inducit peccatum.

Nono, qui Missas votivas privatas celebrant infra octavas privilegiatas, aliisque diebus, qui in Rubricis Missalis, vel a Sacra Rituum Congregatione sunt excepti, v. g. in festo Duplici, vel Dominica, peccant quidem, sed tantum venialiter, si absit scandalum, & contemptus. Suarez, Zenardus, Hurtadus, Villalobos, Diana, Lugo, Granadus, quos affert, & sequitur Leander *de Sacrificio Missæ disp. 7. quæst. 63.*

Idem probabiliter dicitur de celebrantibus Missas de *Requiem*, non præsente corpore, in duplicibus, vel Dominica, non obstante Sacræ Congreg. decreto superius *c. 6.* in fine relato, dum quia illud emanavit, ut firmius induceretur in observationem Rubrica Missalis circa Missas pro Defunctis in duplicibus, vel Dominica, sicuti constat ex tenore decreti. At hujusmodi Rubrica non videtur inducere graviorem obligationem, quam venialem. Tum quia neque ex gravitate rei, neque ex verbis decreti,

creti; aut adjectis pœnis, desumitur id prohiberi sub graviori culpa, quam veniali, secluso scandalo, vel contemptu, & dummodo a Sacerdotibus id frequenter non fiat, neque animo introducendi novum Ritum.

Addo, votivam breviorem etiam in duplicibus permitti patientibus difficultatem celebrandi, ob debilitatem capitis, oculorum, pedum, viscerum. Tambur. *de Sacrif. lib.* 2. *cap.* 6. *paragr.* 1. *n.* 12. Hinc totus numerus nonus intelligendus est, dummodo non sit in die Resurrectionis, Nativitatis, Pentecostes, vel simili multum solemni, etiam dummodo non celebret Sacerdos in illa Ecclesia, ubi agitur dies aliquis festus loci illius proprius; nam his casibus, & similibus mortaliter peccaret.

Decimo, celebrantes, qui dum sese ad populum vertunt, oculis totum Templum perlustrant, contrafaciunt Rubricæ, quæ sic ait: *Demissis ad terram oculis, dicit Dominus vobiscum*, Item *Orate Fratres*, & *Ite Missa est*, cum Benedictione; hujusmodi tamen transgressio, & irreverentia non censetur per se excedere culpam

pam venialem. Dixi *per se*, quia ratione scandali potest aliquando pertingere ad mortale.

Undecimo, qui in festis duplicibus unam, alteramve collectam supernumerariam adjicit, vel omisso Sacro funebri celebrat, festivum inserendo in eo collectam funebrem, trasgreditur Rubricas, quæ in duplicibus non permittunt plures orationes, aut si plures, non nisi præscriptas, aut pro re gravi. Non videntur tamen hæ Rubricæ inducere obligationem graviorem, quam venialem, teste Gavant. *p.* 1. *tit.* 5. *lit. x.* & Fraxinel. *paragr.* 7. Sacerdos tamen, qui ordinarie id factitaret, gravius delinqueret, quia censeretur inducere novum ritum, quod graviter prohibent Pius V. & Clemens VIII. in Bullis Missali præfixis.

Duodecimo, Sacerdos tandem, qui ex oblivione, ignorantia, vel inadvertentia non omnino inculpabili, non observat Rubricas præceptivas sub mortali, de quibus in præcedenti *cap. a n.* 5. usque *ad* 26. non est excusandus saltem a veniali. Quod deducitur ex regulis generalibus le-

legum, & præceptorum, etiam Divinorum. Secus dicendum, si inadvertentia, & oblivio esset omnino naturalis, & inculpabilis; nam in hoc casu nullum erit peccatum. Diana *parte* 7. *tractatu* 10. *resolutione* 31. Claudius Arnaud *in appendice ad* 3. *partem*, & multi alii, quos adducere supervacaneum esse existimavimus. Hoc caput, præter nonnullas additiones, est ex Epitome Josephi Cabrini.

De Rubricis dumtaxat directivis in celebratione Missæ servandis.

CAPUT XV.

Cum præter Rubricas in utroque capite superiori relatas, quas diximus esse præceptivas, prope præceptivas, & dubias, aliæ permultæ reperiantur in Missali præscriptæ, in celebranda Missa adhibendæ, quę, secluso scandalo, & contemptu, non obligant sub culpa. Hæ nuncupantur directivæ, hoc est exhortationis, & consilii, quæ tamen nullo modo sunt omittendæ. Saperet enim con-

contemptum, si quæ earum perpetuo, vel ut plurimum, aut sæpius omitteretur, sicuti monet Gavant. *par.* 3. *tit.* 11. *num.* 11.

Et quamvis, attenta Bulla Pii V. Missali præfixa, & Concil. Trident. decreto *sess.* 22. *de observandis*, & *vitandis in celebratione Missæ*, nonnulli Doctores, ut Suarez *disp.* 97. *sect.* 3. Reginald. *lib.* 33. *num.* 210. Coninch. 3. *p. q.* 83. *art.* 5. *num.* 266. existiment, teneri Sacerdotem ad servandum integrum Missæ ritum, prout in Missali præscriptus, & definitus est: non propterea sequitur, omnes Rubricas esse præceptivas, & nullas directivas, & consilii tantum.

Nam directiva primo habetur illa, quæ præscribit, ut Missa alte dicatur. Nam quamvis submisse celebrans Missam reprehendatur a Navar. & Sa *V. Missa num.* 50. illum tamen etiam a veniali excusat Bonac. *disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 11. *n.* 20. quia sufficit, si fideles Missæ intersint, etsi celebrantem non audiant.

Secundo, illa, quæ circa Missas votivas dicit, eas privatim dici posse pro arbitrio Sacerdotis quocumque die non est duplex, modo id passim

non

non fiat, vel rationabilis causa suadeat. Qua de re vide supra *de Missis votivis cap.* 7. & Dian. *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 39.

Tertio illa, quæ est de dicendis orationibus, pro præparatione ad Missam, & pro gratiarum actione post Missam, de quo supra in Directorio *cap.* 34. *quæst.* 290.

Quarto directivæ censendæ sunt illæ, quæ agunt de ferendo Calice ante pectus elevato, cum Sacerdos accedit ad Altare, & recedit. De inclinatione ad *Confiteor*, ad *Munda*, ad *Te igitur &c.* Item de inclinando Cruci non humeros, sed caput dumtaxat, dum dicitur: *Gloria Patri &c.* De extensione, & elevatione manuum ad *Dominus vobiscum &c.* De signando se a fronte ad pectus, De levitate percutiendo pectus ad *Domine non sum dignus &c* De positione Calicis, dum plicatur Corporale. De reponendo Corporale intra bursam, etsi aliqui, ut Magrius *de notit. vocab. Ecclesiast. V. Bursa* graviter reprehendat Sacerdotem id omittentem, De tegenda tota anteriori parte Calicis velo ad postcommunionem, & aliæ plures, quæ promiscue recensentur

tur infra *cap.* 17. ſub nomine defe-ctuum. Quas Rubricas tum Miſſale ipſum, tum etiam conſuetudo, & uſus a Sacerdotibus piis, & doctis rece-ptus, docet eſſe directivas.

Recte tamen notat Gavant. *par.* 3. *tit.* 11. *num.* 12. Rubricas etiam tan-tum directivas non eſſe negligendas, vel omittendas. Cenſeretur enim con-temptus interpretativus, ſi quę earum perpetuo, vel ut plurimum, aut ſæ-pius omitteretur, ut ſupra etiam mo-nui, præſertim ſi ſubeſſet etiam ſcan-dalum, vel periculum ſcandali. Quod fuſius expendendum, ac exponendum eſt in capite ſequenti. Ita Cabrinus.

Quando ſit peccatum Rubricas directivas omittere.

CAPUT XVI.

Peccat aliquando Sacerdos, ſi in celebratione Miſsæ Rubricas Directivas omittat?

Rubricæ directivæ, licet per ſe lo-quendo non obligent ſub pec-cato mortali, vel veniali, poteſt tamen Sacerdos in eorum omiſſione delin-quere

quere mortaliter, vel venialiter ratione alterius circumſtantiæ, quæ quadruplex eſſe poteſt.

Prima eſt contemptus. Si quidem omnis tranſgreſſio etiam conſiliorum Evangelii ex formali contemptu eſt peccatum mortale, ut docent communiter Doctores apud Bonac. *diſp.* 2. *de leg. qu.* 3. *p.* 5. *num.* 6.

Secunda eſt. Scandalum, quod celebrans præbet, vel præbere poteſt Miſſæ adſtantibus, Rubricas aliquas ſub veniali prope præceptivas, & dubias, vel etiam tantum directivas omittat, v. g. Si celebrans ex culpabili inadvertentia fractionem, vel elevationem Hoſtiæ omitteret. Quod factum non pridem contigit Brixiæ. Quaprópter Sacerdos, qui in una ex tribus Miſſis Natalis Domini Sacramentum attollere omiſerat, ab Epiſcopo per annum integrum a celebratione Miſſæ fuit ſuſpenſus ob ſcandalum, quod adſtantibus præbuit.

Dixi *ex culpabili inadvertentia*, quia ſi inadvertentia eſſet inculpabilis,

bilis, etsi de facto scandalum sequeretur, mortaliter celebrans non delinqueret. Quia tunc esset scandalum passivum, non activum, ut communiter tradunt Doctores.

Tertia est conscientia erronea, vel dubia, si nimirum celebrans existimet, vel practice dubitet, Rubricam aliquam obligare sub culpa gravi, & tamen eam non servet. Nam *omne, quod non est ex fide, peccatum est*, ad Rom. 14. idest, omne, quod non fit juxta judicium intellectus, peccatum est pro qualitate judicii, ut docent Theologi omnes cum S. Thom. 1. 2. *qu.* 19. *ar.* 5.

Quarta circumstantia est Episcopi præceptum, si nimirum Episcopus in ea Diœcesi speciali edicto mandat, ut Rubricæ omnes etiam directivę tantum, in celebranda Missa serventur: Sacerdos enim eas omittens peccabit, quia posito tali edicto, Rubricæ directivæ fiunt præceptivæ.

Recte quidem, sed circa contemptum, requiro, quandonam sacrificans censendus sit Rubricalium Legum transgressor ex contemptu?

Resp. quod duplex datur contemptus,

ptus, alter formalis, cum quis transgreditur legem, vel regulam, quia non vult subjici legislatori, vel superiori, ut superior est, non vero, ut homo defectibus obnoxius: Alter dicitur contemptus interpretativus, cum quis scienter, & ex consuetudine tantum transgreditur legem vel regulam. Sacerdos igitur censendus est rubricales leges transgredi, & delinquere, non solum quando eas negligit, quia non vult subjici ordinationi Ecclesiæ, sed etiam quando easdem scienter, & ex consuetudine omittit, sicuti docet Gavant. *cit. par.* 3. *tit.* 11. *num.* 12.

Hoc tamen interest, quod qui Rubricas directivas negligit ex formali contemptu, semper, & in materia etiam parvi momenti mortaliter delinquit sicuti docent Bonac. Tambur. Laymann. infra citandi. Qui vero eas omittit ex contemptu tantum interpretativo non peccat nisi venialiter, si materia sit levis, & absit alia circumstantia mala juxta supra dicta. Bonac. *disp.* 2. *de leg. qu.* 3. *p.* 5. *n.* 6. Tambur. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 2. *c.* 7. *n.* 4. Ita ex Cabrino.

De Defectibus evitandis in celebratione Missæ circa Rubricarum observationem.

CAPUT XVII.

Retulimus supra tum ritus singulos, qui a Sacerdotibus in tota actione Missę successivo ordine debent servari; Tum etiam Rubricas præceptivas, quarum transgressio lethalem culpam inducit; & prope præceptivas, & dubias Rubricas, quarum transgressio culpam venialem inducit. Nunc defectus quosdam, qui passim committuntur a celebrantibus, ut evitentur, recensere non abs re duxi. Sunt autem sequentes.

Primo Sacerdotes non pauci, antequam paramenta sacerdotalia induant, non accipiunt Missale, neque prælegunt Missam, ut opportunæ vel necessariæ mutationi, vel rectæ celebrationi provideant. Interdum etiam non lavant manus, res fœda dictu.

Secundo, nonnulli accipiendo Amictum, signant se cum extremitate ejusdem Amictus, quod est contra Rubricam, quæ præscribit,

ut

ut Sacerdos Amictum dumtaxat collo imponendum *osculetur in medio ubi est Crux:* quod etiam supra monui.

Tertio, quidam cum e Sacristia ad Altare accedunt, recitant Psalmum: *Miserere*, vel aliam Orationem, Defectus commissionis contra Rubricam, quæ in tali itinere nullam orationem præscribit. Mente tamen si quam recitent, non est reprobandum.

Quarto, multi, collocato Calice in Altari, & aperto Missali, cum descendunt ab Altari, non vertunt se a cornu Epistolæ, sed Evangelii, quod est contra Rubricam.

Quinto, non pauci, cum dicunt Psalmum *Judica me Deus*, &c. ad *Gloria Patri*, inclinant Cruci caput, & humeros, transgressio evitanda. Sicuti multi, postquam dixerunt Confessionem, antequam ascendant ad Altare, genuflectunt, si ad Altare Sacramenti celebrent vel inclinant se rursus Cruci, si non adsit Sacramentum, Defectus non tolerandus.

Sexto, aliqui, nondum repetito introitu, vadunt ad medium altaris; vel eundo dicunt: *Kyrie*, &c. utrumque contra Rubricam, quæ ait: *repetito*

introitu, junctis manibus, accedit ad medium altaris, ubi stans dicit ter Kyrie, &c.

Septimo, complures, cum e Sacristia accedunt ad Altare, & recedunt, & cum se se ad populum vertunt, dicendo: *Dominus vobiscum: Orate Fratres: Ite Missa est*, & Benedictionem dando, oculos ad terram non demittunt, contra præscriptum Rubricæ, quæ sic ait: *Procedit oculis ad terram demissis*. Vide, quæ dixi supra *cap.* 14. *n.* 10.

Octavo, cum velum amovent a Calice, celebrantes fere omnes illud ponunt super corporale, quod valde dedecet cum hoc sit linteum Domini proprium. Debet igitur velum non tradi Ministro plicandum, ut sentiunt multi, quod non est usu receptum, sed plicatum extra Corporale reponendum.

Nono, multi deponunt Hostiam super Corporale ante completam orationem: *Suscipe Sancte Pater, &c.* Et idem faciunt ad oblationem Calicis: quod adversatur Rubricæ, quæ ait: *Quo dicto*, ideſt *Suscipe, &c. tenet patenam &c. facit signum, &c. & deponit Hostiam, &c.*

De-

Decimo, non pauci orationem pro benedictione aquæ dicunt, cum accipiunt vinum. Deordinatio Rubricæ vitanda.

Undecimo, vinum in Calicem infundendum est ex angustiore ampullæ foramine, & per eamdem lineam aqua, sic nullæ interiori Calicis superficiei inhærebunt guttulæ, seclusumque erit dubium, an illæ sint consecratæ. Qui modus a paucis servatur.

Duodecimo, in formando Cruces super oblata nonnulli formant quatuor puncta, vel si forment lineas, tali incomposito modo, sicuti ad abigendas a Calice Muscas, vel sicuti ad ova subagitanda, utuntur. Utrumque contra Rubricam, quæ præscribit, ut formentur lineæ duæ, una recta, altera transversa in modum Crucis, manu semper recta, ut supra etiam diximus.

Tertio decimo, cum inclinationes variæ faciendæ sint a Celebrante, quædam profundæ, ut ad *Confiteor*, *ad Munda*, ad *Te igitur*, & ad *Supplices*; Quædam mediocres, ut ad *Deus tu conversus*, ad *Sanctus*, ad tres Orationes ante Communionem, &

ad *Placeat tibi Sancta Trinitas*; Quędam etiam parvę, ut ad *In Spiritu humilitatis*, ad *Suscipe Sancta Trinitas*; Quędam solo capite ad Crucem flexo, ut ad *Gloria Patri*, ad verba *Adoramus te*, *Gratias agimus*, *Suscipe deprecationem*, ad *simul adoratur*, &c. Multi non servant varietatem, sed eam confundunt cum transgressione Rubricę.

Quarto decimo, Complures, cum dicunt *Dominus vobiscum*, caput populo inclinant, manus nimis disjungunt, & Altari dorso incumbunt. Deordinatio prorsus evitanda.

Quinto decimo, Plurimi, incipiendo Canonem, dicunt alta voce: *Te igitur*, *Memento Domine famulorum*, &c. Item; *Hæc quotiescumque feceritis*; imo & ipsa verba consecrationis. Defectus contra Rubricam notabilis. Postremus vero etiam graviter culpabilis, de quo supra *c. 6.*

Sexto decimo, Percussio pectoris post Consecrationem fieri debet leviter, & tribus tantum digitis. In quo multi non servant Rubricam, percutientes sibi pectus magno strepitu, interdum etiam pollice, & indice planetam tangentes.

Se-

Septimo decimo, Nonnulli, antequam sumant sacram Hostiam, dum tenent eam manibus, nimis immorantur in cogitatione, vel post ejusdem sumptionem in meditatione. Defectus additionis contra Rubricas, quæ brevem dumtaxat permittunt meditationem.

Octavo decimo, Permulti in sumptione Sanguinis, ter, quater, & pluries admovent Calicem ori. Quod & stomachum adstantibus movet, & adversatur Rubricę, & communiori praxi, teste Gavanto *part.* 2. *tit.* 10. *lit. V*, ubi monet, ut bis tantum, vel ad summum ter Calix ori admoveatur.

Sed quid, si in sumendo de Calice stillaverit sacer Sanguis in barbam celebrantis?

Si hęc controversia deducatur ad tribunal, quo judex sedeat Barthol. ab Angelo *Dialog.* 5. §. 715. & assessor Dicastill. *disp.* 4. *de Sacram. num.* 301. decisio erit, abradendam, & comburendam esse barbam. Sed nimis dura videbitur Sacerdoti, potissimum vero, si comptam, & bipalmarem barbam ostentet. Quare mitiorem sententiam ferent Gavant.

par. 3. tit. 10. *n.* 12. & Bonac. *de Euchar. disp.* 4. *quæst. ult. p.* 10. *num.* 10. ut scilicet eo casu bis, serve barba abluatur, & ablutio in sacrarium projiciatur.

Nono decimo, cum purificatio ex jussu Pii V. debeat esse major, vel saltem æqualis quantitati Sanguinis, eaque sumenda sit per eamdem partem Calicis, per quam Sanguis haustus est, multi saluberrimum Sanctissimi Pontificis præceptum non servant: Defectus gravis omissionis, & transgressio corrigenda.

Vicesimo, Postcommunio ita dicitur, quia olim antiphona illa cantabatur a Choro, dum populus SS. Eucharistiam sumebat, idque ex S. Gregorii Papæ institutione. Hinc colligitur errare Parochos, ac Sacerdotes, qui differunt, sine justa, & rationabili causa, præbere communicaturis SS. Eucharistiam ad finem Missæ contra Rubricam. Quia interim privat eos fructu orationum, quæ in Missa post communionem dicuntur. Hæ siquidem non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectant; sicuti monet Rit. Rom.

Vi-

Vicesimo primo, Plerique, post sumptam communionem, non operiunt anteriorem Calicis partem velo. Alii Evangelium, quod aliquando in fine Missæ dicitur, osculantur, dicendo: *Per Evangelica dicta, &c.* Utrumque tamquam contra Rubricas reprobatur a Gavant. *part.* 2. *tit.* 2. *lit. A. in fine*: ubi etiam reprehendit usum osculandi vestes omnes, cum iis exuitur Sacerdos. Siquidem tres tantum, quæ Crucem habent, scilicet amictus, Manipulus, & Stola; sunt osculandæ. Huc etiam spectat illud gravi reprehensione dignum, quod multi relinquunt extensum corporale usque ad ultimum *Evangelium S. Joannis*, & tunc, dum illud dicunt, plicant corporale, & in Bursam reponunt. Defectus non tolerandus.

Vicesimo secundo, aliæ transgressiones permultæ committuntur à Sacerdotibus in celebratione Missæ circa Rubricarum observantiam. Potissimum vero, quod plerique celebrantium non conjungunt orationes cum actibus, quibus ex propria earum significatione sunt conjungendæ: sed vel præmittunt, vel postpo-

nunt, & ſic pervertunt ordinem, quem Rubricæ pręſcribunt.

Quamvis autem ſupra relati defe-ctus, & transgreſſiones parvę videan-tur, nemo tamen exiſtimet eas ne-gligi poſſe. Tum quia tales negligentię ſolent inducere contemptum, de quo in pręcedente capite dictum eſt: Tum quia, ſi Hierem. 38. *maledicitur omnis, qui facit opus Dei negligenter*: maledictio hujuſmodi ne ſuper ſe veniat, pertimeſcere potiſſimum debent Sacerdotes, qui Miſſam indecore, & negligenter celebrant, cum ſit opus, & myſterium adeo Sanctum, & Divinum, ut nullum aliud illi comparari queat, ut ait Concil. Trident. *ſeſſ. 22. in decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*. Hoc per totum caput deſumptum eſt ex Cabrino in Epitome.

DE MINISTRO MISSÆ PRIVATÆ

CAPUT XVIII.

Officium miniſtri in Sacrificio Miſſæ adeo eſt neceſſarium, ut ſacri-

sacrificantem sine eo extra necessitatis casum lethalis culpę damnent communiter Doctores apud Suarez *disp.* 87. *sect.* 1. & Bonac. *disp.* 4. *de Sacram. quæst. ult. p.* 9.

Quod munus, cum sit duplex, scilicet sacrificanti respondere, & necessaria subministrare, & posterius sit magis necessarium, quam prius; propterea hallucinantur Sacerdotes, qui censent sua apud Deum nihil interesse, seu idoneum, seu ineptum Ministrum adhibeant. Nam tenentur instructum præferre imperito, quoad commode possunt. Ad Rectores vero Ecclesiarum spectat curare, ut ministri probe sint instructi, & ex iis, qui ex officio, & ordine ab Ecclesia sunt deputati. Cum itaque ex Trident. decreto *sess.* 23. *c.* 17. officium privatis Missis inserviendi pertineat ad Acolythos, nos hic necessarium judicamus dare aliquas regulas, ut inservientes possint recte & respondere, & ministrare. Posuimus vero hoc caput hic in fine, & non in principio hujus Epitome, quia cum hoc officium exerceatur partim a Clericis, partim a sæcularibus, ideo rectum exi-

existimavimus, extra officia, quæ tantum ad Clericos, vel Sacros Ministros spectant, collocare.

Minister ergo deputatus ad inserviendum Missæ privatæ debet alacriter ministrare intentus in Divinam Majestatem, & memor ad plusquam Angelicum se vocari ministerium, ideoque toto cordis affectu ad illud se comparet, ut fructum ejus cum augmento gratiæ spiritualis consequi mereatur.

In primis cum actualiter inservit Missæ, numquam incumbat vita, aut brachiis Altari, aut super illius mensam; neque sedeat aut stet, nisi cum ritus functionum hoc postulet, sed stet semper genuflexus super infimum gradum Altaris, vel super planum ante infimum gradum.

Si est Clericus, habeat vestem talarem, & coronam spectabilem in capite, ac indutus sit, ex præcepto Missalis, cotta. Sic indutus ampullas vini, & aquæ cum lance, & manutergio deferat ad locum, ubi celebranda est Missa, postea cereos accendat, incipiens ab eo, qui est a parte Epistolæ, sumens ignem ex lam-

lampade, quæ ibidem, vel alibi ardeat, non enim decet ſumere ignem de Altari aliquo, niſi aliter fieri non poſſit; & ſi ob aliquam cauſam cerei plures, quam duo, accendendi ſint, incipiat ſemper ab illo, qui eſt prope Crucem, genufleƈtens ſemper Cruci, etiamſi non ſit Tabernaculum Sacramenti, dum accedit, recedit, vel tranſit. Hoc faciat, dummodo ab aliquo alio hoc non fiat, vel non faƈtum ſit.

Deinde redeat in Sacriſtiam, & lotis manibus prius, debitis cum reverentiis tradat celebranti Miſſale, tum vas, in quo ſunt Hoſtiæ: his faƈtis a tergo Celebrantis ſtans, poſito amiƈtu, illi ſuper humeros adaptet: tum ſiſtens ſe ad ſiniſtram illius, accipiat Albam, & eam prius revolutam ab ea parte, quæ pendere debet a tergo, circa collum, & humeros imponat, & manu dextera elevet manicam dexteram, & ſiniſtra ſiniſtram, ut brachia Celebrantis in eas immitti poſſint facilius, poſtea ipſam Albam corpori adaptet, mox cingulum a tergo porrigat, & elevet Albam ſuper cingulum circum circa, ne nimis effluat, ſed de-

decenter undequaque pendeat, & vestes contegat, & duobus tantum digitis ęqualiter e terra distet. Tum adęquat etiam plicaturas ipsius Albæ tam circa collum, quam circa cingulum, & latera, ne inconcinnę appareant. Deinde accipiat manipulum cum quasi osculo, & offerat osculandum Celebranti in Cruce, ejusque sinistro brachio applicet, & chordulis firmet: infra cubitum non longe a manu, ne cedat, aut celebrantem impediat. Postea accipiens Stolam ambabus manibus, cum quasi item osculo præbeat osculandam in Cruce Sacerdoti, & eam circa collum sic aptet, ut non longe a collo distet, nec tam alte accollatur, ut a Planeta non tegatur. Demum imponat Celebranti Planetam, illamque humeris ejus decenter aptet, & postremo aliquantulum remotus a tergo Celebrantis, advertat, si omnia decenter, & apte se habeant, & si quid non sit recte dispositum, illud statim adaptet.

Sacerdote omnibus paramentis induto, accipiat Missale illud, ubi Celebrans Missam invenit, quod portet ambabus manibus erectum ante

pe-

pectus, manus apponens angulis inferioribus ejusdem, parte, qua aperitur, ad sinistrum ejus conversa, & stans a latere Celebrantis paulo post eum versus januam, facta cum eo reverentia Imagini principali in Sacristia, & pulsata paulo ante campanula, presertim in majoribus Ecclesiis, modeste præcedens Celebrantem tribus, aut quatuor passibus, oculis demissis, incessu gravi, procedat ad Altare. Caveat non egredi e Sacristia, cum elevetur Sacramentum, aut sit proxima ejusdem elevatio in aliquo proximo Altari. Curet, ut Sacerdoti ad Altare procedenti locus detur ab illis, qui ejus iter impediunt, sed hoc faciat summa mansuetudine. Faciat debitas reverentias, aut genuflexiones eodem modo, & tempore, quo ipse Sacerdos, eo loco tamen, ut eum statim præcedat.

Cum pervenerit ad Altare, si istud sit ita situm, ut Celebrans ad medium illius accedere non possit, quin prius ante cornu Epistolæ transeat, aliquantulum retrocedens, aditum illi transeunti præbeat, postea, ad dexteram Celebrantis se sistat ante infi-

mum

mum gradum Altaris in cornu Epistolæ, & stans ibidem accipiat ab eo birretum dextera cum quasi osculo illius, postea genuflectat, licet Celebrans non genuflectat. Advertat autem, ut semper genuflectat, in plano terræ transiens ante medium Altaris, etiam si sit super illud sola Crux. Advertat insuper, dum ministrat coram Episcopo, vel alio Prælato, ut dum transit ab una parte Altaris ad aliam, non transeat ante Episcopum, quantum fieri potest; ita ut semper genuflectat in hoc casu, sed unica genuflexione Altari, & Episcopo, si sit directe ante medium Altaris.

Facta ergo genuflexione, ascendat, non prius quam Celebrans, ad Altare per cornu Epistolæ, ne sit collateralis Celebranti, librumque clausum super Cussinum, vel Lectorinum ibi paratum collocet ita, ut pars, qua liber aperitur, sit versus medium Altaris. Numquam aperiat Missale, quia propter mysterium spectat ad Sacerdotem. Tum per idem cornu Epistolæ descendens birretum Celebrantis clavo appendat, vel alio loco congruo deponat, & numquam

quam super Altare ; & postea , si opus sit, Cappellam claudat, nec sinat laicos intra illam consistere , si fieri potest, & præsertim fœminas. Deposito birreto, redeat ad Altare, & facta genuflexione in medio, accedat ad cornu Evangelii, ubi genuflectat in plano aliquantulum post Celebrantem a sinistris ejus, vel si sint plurium graduum ordines, ante infimum gradum supremi ordinis, & manibus junctis ante pectus. Genuflexio, vel reverentia semper facienda est facie versa ad Altare, non alio modo, ut plures indevoti. Si vero ministret coram Episcopo, genuflectat non in cornu Evangelii, quia ibi adest Celebrans, sed in cornu Epistolæ, ubi maneat genuflexus in plano, ne videatur Episcopo collateralis, & ibi respondeat celebranti, versa facie ad Altare; faciens confessionem, & dicens *Tibi, Pater*, se convertat ad Celebrantem, non ad Prælatum: facta autem confessione, dum Celebrans ascendit ad Altare, ipse accedat ad cornu Evangelii, transiens post Episcopum, cui genuflectat, & Altari unica genuflexione.

To-

Toto Missæ tempore numquam solum ad Altare relinquat Sacerdotem, nisi esset justa aliqua causa; se conformet Celebranti in se signando, genuflectendo, percutiendo sibi pectus, & denique, in se inclinando. Optimum esset, se abstinere a recitatione Officii, aut lectura alterius libri spiritualis, ut sit totus applicatus ad recte peragendum suum ministerium. Item numquam loquatur cum aliquo, neque se vertat retro observans, qui accedit, & qui recedit ab Ecclesia, vel Capella. Advertat tandem, ut vocem suam conformet voci ipsius celebrantis, & ut ad Psalmum: *Judica me Deus*, ad *Kyrie*, & simile respondeat alternatim cum Celebrante, & non præveniat in respondendo Celebrantem, ut non se confundant.

Cum Celebrans incipit Missam, dicens *In nomine Patris &c.* dextera se signet, sinistra infra pectus posita, cum eo, & respondeat ei, dum dicit *Introibo &c.* addens *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam*. Similiter ei respondeat alternatim ad Psalmum *Judica me Deus*, eadem voce, & tono inclinans se ad versum *Gloria Patri.*

Ad

Ad versum *Adjutorium nostrum*, se signet,& respondeat *Qui fecit Cælum, & terram.* Dicto a Celebrante *Confiteor*, non respondeat *Amen*, sed statim dicat *Misereatur tui &c.* conversus ad Celebrantem. Ad *Confiteor*, dicens *Tibi pater*, & *Te pater*, convertat se inclinatus ad Celebrantem, & dicens ter *Mea culpa*, ter pectus suum percutiat, sinistra infra pectus posita, quod semper servet, cum se signat, & pectus sibi percutit. Dicto a Celebrante *Misereatur vestri*, adhuc inclinatus respondeat *Amen*. Ad *Indulgentiam* se signans idem respondeat. Inclinet se iterum, dum celebrans dicit *Deus tu conversus &c.* ad quę respondeat, ut in ordinario Missę.

— Cum celebrans dicens *Aufer a nobis*, ascendit ad Altare, ipse elevet parumper Albam, & vestem anteriorem illius dextera, sinistra pectori admota, ut Sacerdos libere ascendere valeat, interim genuflectat super infimum gradum Altaris. Si autem nulli sint gradus ad Altare, sed tantum Pradella, seu suppedaneum, genuflectat tantum in plano, sic manens genuflexus, manibus pectori decenter admotis, vel junctis.

Ad

Ad verſum *Gloria Patri* in Introitu, inclinet ſe verſus Crucem, ſe ſignet quando Celebrans ſe ſignat, ſe inclinet, quando ſe inclinat, pectus ſibi percutiat cum eo, denique genuflectat cum eo, ſi ſtet, quando Celebrans genuflectit, ut ſupra diximus.

Ibique manens alternatim reſpondeat ad *Kyrie* cum celebrante, qui ultimus eſſe debet. Ad *Dominus vobiſcum* inclinans aliquantulum caput reſpondeat *Et cum Spiritu tuo*, quod ſemper obſervet. Ad concluſionem Orationum *Amen*, poſt *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & ad finem Epiſtolæ, dicens *Deo Gratias*. Quando Celebrans dicit *Flectamus genua*, ipſe ſtatim ſubdat *Levate* genuflexus, nec ſurgat ad Orationem ſequentem. In fine cujuslibet lectionis, ſeu Prophetiæ, vel Epiſtolæ, reſpondeat manens genuflexus in loco ſuo *Deo gratias*, exceptis ultima prophetia, quæ eſt quinta Danielis Sabbato quatuor Temporum, & Lectionibus feriæ ſextæ Paraſceves, & Sabbati Sancti, ſi diebus iſtis miniſtret.

Circa finem Gradualis, vel Sequentiæ, aut Tractus, ſurgat, accedat ad


ad cornu Epiſtolæ, genuflectens in medio Altaris, dum tranſit ante ipſum, ibique ambabus manibus accipiat Miſſale clauſum, pollice ſiniſtro intra folia ipſius interjecto, ubi eſt Evangelium, illudque cum pulvinare, ſi unicum ſit in Altari, vel cum Lectorino, deferat cum debita genuflexione, ad latus Evangelii per planum, quod ſemper, ſi fieri poteſt, obſervare debet, & ita illud ſuper Altare collocet, ut ſuperior pars libri reſpiciat ipſum cornu Altaris, non vero parietem, ſive partem ejus contra ſe directam.

Locato Miſſali directe per gradum anteriorem deſcendat in planum ad cornu Epiſtolæ, facta genuflexione in medio, & in cornu Epiſtolæ ſtet in plano manibus junctis verſus Celebrantem, ei reſpondens ad *Dominus Vobiſcum*, *Et cum Spiritu tuo*, & ad *Sequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii*, *Gloria tibi*, *Domine*, interim ſe ſignans in fronte, ore, & pectore, ac genuflectens cum eo, quando opus eſt verſus Altare, & in finem ad huc ſtans, dicat *Laus tibi Chriſte*. Quod ſimiliter faciat in fine Paſſionis, quæ dicitur loco Evan-

Evangelii, præterquam die Parasceves, finitoque Evangelio, genuflectat in eodem cornu Epistolæ super infimum Altaris gradum.

Si ministret coram Episcopo, vel alio Prælato, locato Missali, non transeat ad cornu Epistolæ, sed in cornu Evangelii remaneat respondens celebranti. At finito Evangelio capiat Missale cum debita genuflexione, & illud offerat apertum, sine ulla reverentia, Episcopo osculandum in initio, quod ei indicet, post cujus osculum claudat librum, Episcopo genuflectat, & Missale cum debita genuflexione referat ad Altare super Cussinum. Si tamen Prælatus habet Capellanum paratum, ipse, non minister, tradat librum osculandum Episcopo. Si forte aliqui sint Prælati Episcopo majores, offerat librum tantum digniori. Si sint æquales, nulli detur liber osculandus, neque Celebrans ipse osculetur. Si sit aliquis Princeps, ex tolerantia, detur liber ei osculandus, modo sit alius ab eo, quo utitur Celebrans, & hoc casu Celebrans librum suum osculetur.

Dum Celebrans incipit Symbolum, ge-





genuflexus, & manibus junctis, caput inclinet ad verbum *Deum*. Idem faciat, dum dicit *Et Incarnatus est &c.* & ad verbum *Adoratur*. In fine vero se signet. Finito a Celebrante Symbolo, si dicendum sit, & statim dicto; *Dominus vobiscum* respondeat *Et cum Spiritu tuo*, & surgat, & facta genuflexione, ascendat ad Altare per ejusdem angulum in cornu Epistolæ, extra tamen pradellam, seu suppedaneum Altaris, si potest, super mensam Altaris in eadem parte explicet manutergium, super quod collocet pelviculam cum ampullis sine operculis. Deinde offerat Celebranti ad se venienti ampullam vini cum quasi osculo, (quod observet, dum offert, & recipit) tenens manu dextra per partem inferiorem, ita ut celebrans eam possit per manubriolum capere, tum ampullam aquæ mutet a manu sinistra ad dexteram, & recipiens ampullam vini a Celebrante sinistra manu, cum quasi osculo illius, & debitis reverentiis (idest in talibus functionibus, semper aliquantulum inclinare caput Celebranti debet) eidem ministret modo, quo supra, ma-

 nu

nu dextera ampullam aquæ ,
retineat demissam aliquantu
dum Celebrans benedicit aqu
benedicenda est, quam statim
lat, & eidem celebranti porriga
debitis reverentiis, ut supra,
que postea recipiat manu de
sinistra tenens ampullam vini

Dum Celebrans offert Cali
minister reportat tantum amp
vini ad locum suum, & stans
dem cornu Epistolæ extra prade
elevato, & aptato prius super
tare manutergio, ita ut celebr
lud capere facile possit, & ten
nistra bacile, dextra vero man
pullam aquæ per aurem, cele
tique se inclinans, ut supra, &
pullam quasi osculans, fundat p
aquæ in pelviculam, deinde in
dio bacilis super indices & po
celebrantis, donec ipse det sig
desinendi, elevando parum ma
Tum iterum se inclinet, & im
aqua in locum congruum, &
modo in pavimentum, omnia
portet ad locum suum, operien
pullas, præcipue illam vini, de
advertat, ut postquam Celebrans
sit manus, manutergium non d

n

nat ſuper Altare, ſed illud accipiat ſuis manibus cum debitis reverentiis, & plicet manens genuflexus, ac ſtatim plicatum reponat in locum ſuum.

Si SS. Sacramentum ſit expoſitum, non aſcendat ad Altare, ſed in plano conſiſtens ibidem miniſtret Celebranti ad lotionem, & exterſionem manuum ejuſdem ſine quaſi oſculis ampullæ, & manutergii, populo terga vertens in plano,ibique teneat tunc manutergium ſuper brachium ſiniſtrum, & illud eodem modo recipiat, ac ſtatim cum debitis reverentiis reportet ad locum ſuum, & cito redeat, ut ſupra ad cornu Epiſtolæ, ubi Celebranti dicenti *Orate fratres*, genuflexus reſpondeat *Suſcipiat Dominus*, *&c.* non tamen prius, quin ipſe Celebrans circulum perfecerit.

Ibidem genuflexus reſpondeat ad Præfationem, inclinans caput ad *Deo noſtro*. Ad *Sanctus* non percutiat pectus, ſed ter pulſet campanulam, duobus ictibus pro ſingulis ternis vicibus. Tum reponat eamdem campanulam, dummodo hæc appenſa non ſit ad Altare, erectam in ſecundo gradu ad dexteram celebran-

tis, cum quo se signet ad *Benedictus*.

Dum Celebrans dicit *Memento*, vel citius, si opus sit, surgat, capiat virgam, in cujus summitate est candela, eaque sumpto lumine ex lampade, vel aliunde ex candelabro, quod est in cornu Epistolæ cereum, qui est candelabro majore ad cornu Epistolæ, accendat pro elevatione SS. Sacramenti. In festis de præcepto, si sit consuetudo, cereos utriusque candelabri, incipiendo a parte Epistolæ, accendet versa facie semper ad Altare. Tum deposita virga, redeat ad Altare, non extinguens cereum, aut cereos, donec Celebrans pretiosum Sanguinem sumpserit, & alios, si sint, communicaverit, & genuflectat super secundum gradum in cornu Epistolæ prope medium Altaris, vel supra pradellam, si nulli sint gradus. Ad consecrationem jungat manus, si potest, & inclinet se profunde.

At cum ipse Celebrans, facta consecratione Hostiæ, surgit a genuflexione, ut elevet eamdem Hostiam, sinistra manu minister capiat posteriorem partem Planetæ in medio partis infimæ, eamque elevet tantil-

lum

lum ad elevationem Hostiæ, ne Celebrantem impediat, sine ullo osculo ipsius planetæ, neque in accipiendo, neque in eam dimittendo: manu dextera vero ter campanulam eo modo, quo supra, pulset, primo dum genuflectit, deinde dum eam elevat, & denique dum Celebrans eam deponit, adorans devote SS. Sacramentum. Deposita Hostia super Corporale, demittat planetam, & jungat manus, dum dicuntur verba consecrationis Calicis, quibus finitis resumat planetam, & pulset, ut prius.

Post elevationem Calicis facta genuflexione a Celebrante, deponat planetam, & cum celebrans surgit, statim etiam ipse surgat, & recedat ad priorem locum in parte Epistolæ, ubi genuflexus maneat, junctis manibus, usque ad sumptionem Sanguinis, nisi danda sit pax, ibique campanulam prope se deponat, & respondeat quando opus est, & ad ea verba *Nobis quoque peccatoribus*, *Miserere nobis*, *dona nobis pacem*, post. *Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus*, percutiat pectus, ut Celebrans.

 Si

Si ministret coram Episcopo, vel aliqua Persona insigni, dicto a Celebrante *Agnus Dei*, accipiat pacis instrumentum cum velo appenso manubrio ipsius Instrumenti, cui si non est hoc velum, potest ex Altari accipi velum Calicis, eoque uti ad tergendum illud, antequam tradat osculandum.

Accepto igitur pacis Instrumento cum velo, & genuflexus ad dexteram Celebrantis, dum dicit Orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis &c.* teneat manu dextera idem instrumentum elevatum super Altare, quod, dicta Oratione, osculandum ei præbeat, cui dicenti *Pax tecum*, ipse minister adhuc genuflexus respondeat *Et cum Spiritu tuo*. Tum surgat, & facta iterum genuflexione, accedat ad Prælatum, cui sine ulla reverentia tradat ambabus manibus prędictum Instrumentum osculandum, dicens *Pax tecum*, deinde genuflectat Prælato, & deferat cum debitis genuflexionibus, ante, & post, instrumentum ad Altare, vel Credentiam. Et velum Calicis, si eo usus sit, reponat in locum suum. Si plures sint Prælati, minister eis

præ-

præbeat inſtrumentum pacis, incipiens a dignioribus, & poſt oſculum, non vero prius, debitam faciat reverentiam, & qualibet vice extergat illud ante oſculum; aliis vero non Prælatis, illud quidem tradat, & unicuique dicat *Pax tecum*, ſicuti aliis Prælatis, ſed non illud extergat, niſi ſint Principes, aut inſignes viri. Si vis ſcire, quando hoc obſervandum eſt, vide *cap.* 11. *hujus Epitome*.

Quando facienda eſt Communio, poſtquam Celebrans ſumpſerit pretioſum Sanguinem, & non prius, extendat linteum ante communicandos, & genuflexus manibus junctis a latere Epiſtolę dicat devote, & clara voce *Confiteor &c.* ut in miſſa, & reſpondeat celebranti *Amen*, quando opus eſt.

Si non fiat Communio, dum ſumitur Sanguis a Celebrante, vel paulo ante, ſurgat, & campanulam, dummodo hæc non ſit appenſa, reportet ad locum priorem, nunquam eam pulſans, cum ſit hic notabilis abuſus, facta prius genuflexione, & accipiat ampullam vini in dextera, & alteram aquæ in ſiniſtra, ambas

per aurem, ideſt per manubriolum, & ſtans in eodem cornu Epiſtolæ parum inclinatus, ſi adhuc ſumat Sanguinem, quando celebrans porrigit Calicem, accedat prope eum, & cum debita reverentia ante, & poſt, ac quaſi oſculo ampullæ, infundat per roſtrum ejuſdem ampullæ vinum in Calicem ad beneplacitum Celebrantis pro purificatione: poſtea recedat, & expectet donec accedat ad cornu Epiſtolæ, ubi cum debitis reverentiis, & quaſi oſculis ante, & poſt, infundat vinum, & aquam paulatim in medio ipſius Calicis ſuper pollices, & indices ipſius Celebrantis, donec dat ſignum deſinendi, elevatis paulum digitis, aut Calice, & tunc urceolum non retrahat, incurvato adhuc ore, aut canaliculo ampullæ, ſed prius illam erigat, ne guttæ aliquæ ſuper pedem Calicis, aut Mappæ decidant. Deinde, depoſitis ampullis cum pelvicula in locum ſuum, tectis ſuis operculis, extinguat cereum, vel cereos accenſos pro elevatione, & deponat loco congruo extinctorium, cavens, ne cerei remaneant fumigantes; & ſtatim deferat Miſ-

ſale

ſale clauſum cum cuſſino, eo modo, quo ſupra, ad cornu Epiſtolæ cum debitis genuflexionibus, illudque ibi repoſitum aperiat in folio, in quo Celebrans lecturus eſt Communionem. Deinde redeat ad cornu Evangelii genuflectens in medio dum tranſit, ibique genuflexus maneat donec acceperit benedictionem, ad quam ſe ſignet, & reſpondeat Celebranti ad ea, quæ debet. In Quadrageſima ſe inclinet etiam genuflexus ad Orationem ſuper populum incipiens ſtatim ac Celebrans incipit: *Humiliate capita veſtra Deo*.

Dum legitur Evangelium, ſtet a latere Epiſtolæ in plano aut ad infimum gradum, ubi ſe ſignet, & genuflectat cum Celebrante, facie ad Altare verſa, & ad ea, quæ debet; at quando non legitur Evangelium S. Joannis (quod facile advertet Miniſter, ex libro, quem idcirco poſt orationes completas Celebrans relinquit apertum ſuper Altare) dicto: *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, ſolicite mutet, & deferat librum ad cornu Evangelii cum ſolitis reverentiis, advertens, ut, ſi fieri poteſt, ſit genuflexus in plano ante

medium Altaris, quando Celebrans dat benedictionem, ad quam tunc non se signet.

Finito Evangelio, & non prius, extinguat cereos Altaris, cum instrumento incipiens a parte Evangelii, vel curet, ut per alium extinguatur. Deinde ascendat per grados collaterales Epistolæ, ut in principio, accipiat Missale, & birretum Celebrantis, quod numquam superponat Altari & vadat per planum prope medium Altaris ad dexteram Celebrantis, ubi facta debita genuflexione, & inclinatione Celebranti ante, & post porrigat illi birretum cum quasi osculo illius, tali modo, ut Celebrans illud capere, & capiti suo facile imponere, atque aptare possit. Tum incedens ante illum, portansque librum, ut initio, redeat eodem modo, quo venerat, in Sacristiam.

Cum ad Sacristiam pervenerit, sistat se in ingressu, Celebranti se inclinet, & expectet, donec transeat. Tum procedens inclinet se Imagini, quæ est in Sacristia, & iterum celebranti, postea loco suo reponat Missale, & redeat ad sinistram celebrantis, quem, dum se exuit, adjuvet modo,

do, quo initio, sed retrogrado, quas denique vestes decenter disponat super Mensam, ubi prius erant. Postremo, si sit consuetudo, genuflexus petat benedictionem a Celebrante, dicens: *Benedicite Pater*.

Advertat tandem pro coronide hujus capitis Minister, quod si tempore *Sanctus*, vel elevationis SS. Sacramenti fiat processio, vel absolutio post Missam Defunctorum, aut sit expositum SS. Sacramentum, vel celebretur Missa solemnis, aut aliquid aliud juxta Altare, ubi tunc celebratur Missa, ut non pulset Campanulam, quia est contra Ritus, & praxim illarum Ecclesiarum, in quibus viget Rituum perfecta observantia. Qui distinctiorem notitiam desiderat, videat libellum, cujus titulus est: *Avvertimenti ai Sacerdoti, e molti avvisi ai Cherici, che servono alla Messa privata, stampati per ordine dell' Eminentiss. e Reverendiss. Sig. Cardinale Gregorio Barbarigo Vescovo di Padova, &c.* Qui vero plura cupit, legat Manuale Bauldry, & Sylvam Buongiovanni, ex quibus hæc pauca ad literam per nos selecta fuerunt.

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilii Tridentini super decretis ejusdem Sacræ Congregationis, authoritate Urbani VIII. editis de Celebratione Missarum.

CAP. XIX. ET ULTIMUM.

Antequam deveniamus ad has declarationes, nobis visum est præmittere aliqua decreta Sacræ Congregationis Rituum necessaria, ut ab omnibus Sacerdotibus sciantur.

An Missæ certis Regularibus concessæ possint etiam dici ab aliis?

Respondit Sacra Congregatio *die* 19. *Novembris* 1622. non posse dici neque in ipsorum Regularium Ecclesiis; ideo qui habent onus celebrãdi Missam v.g. de Rosario concessã solis Dominicanis, possunt aliam dicere de Beata Virgine.

An annulus possit deferri ab omnibus in Missa?

Declaravit eadem Congregatio *die* 11. *Februarii* 1623. usum annuli in Missa prohiberi Prothonotariis non participantibus, & quibuscumque aliis Doctoribus, & Sacerdotibus. Imo

Imo per eamdem Congreg. *die* 20. *Novembris* 1628. usus anuli in Missa omnino fuit prohibitus, & Canonicis Cathedralium.

An officium, & Missa recitari possit de Sanctis, quorum corpora, aut Reliquiæ insignes habeantur in Ecclesiis, & eanon sint descripta in Martyrologio Romano, & fides certa non habeatur de earum identitate?

Sacra Congregatio Rituum *die* 11. *Augusti* 1691. approbante Innocentio XII. decrevit non posse, excepto tamen, si in contrarium staret præscriptio immemorabilis, quæ per hoc Decretum non censetur sublata.

An Cruces, quæ fiunt super Oblata a Sacerdote, debeant fieri manu transversa, an vero manu recta in transversa parte Crucis?

Definitum fuit a Sacra Rituum Congregatione *die* 4. *Augusti* 1663. Manu recta.

An in Missis de Requie Sacram liceat distribuere Eucharistiam?

Respondit omnino negative, & ita declaravit Sacra Rituum Congregatio *die* 22. *Junii* 1701. His præmissis procedamus ad decreta Sacræ Congregationis Concilii.

Cum ex decretis Sacræ Congregationis *de celebratione Missarum*, authoritate Urbani VIII. editis *die* 21. *Junii* 1625. nonnulla dubia emerserint, idcirco de opportuna declaratione cum tunc supplicatum fuisset, eadem Sacra Congregatio, ad tollendam omnem ambiguitatem, ad singula dubia sibi proposita in hunc modum respondit. Quas responsiones, seu declarationes, ut Sacerdotes nuper inaugurati ob oculos habeant, pro opusculi coronide, hic adjicere non alienum ab instituto duxi. *Super decreto primo* omittitur quæsitum, & responsio, quia est de reductione Missarum, quod spectat ad Episcopos, & Provincialem Ordinum.

Secundo, circa præscriptionem eleemosynæ pro dicendis Missis; quæsitum fuit, num intelligenda sit de præscriptione ab Ordinario facta, vel ab Offerente?

Sacra Congregatio respondit, intelligendam esse de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot

præ-

præscripserit Ordinarius, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Tertio, an, cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, juxta circumstantias loci, temporum, & personarum, Sacerdotes accipientes stipendiũ minus congruum, teneatur Missas ab Offerente præscriptas celebrare?

Sacra Congregatio declaravit, Sacerdotes teneri ad eum numerum Missarũ, quę ab Offerente fuerint prę scriptę.

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, Cappellæ, Legati, aut Salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, vel Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique obligationi satisfacere.

Ad dubium istud respondit, Sacerdotes, quibus diebus tenentur celebrare Missas ratione Beneficii, seu Cappellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis receperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere, & aliter facientes delinquere mortaliter, & teneri ad restitutionem.

(Et jure merito ita declaravit, & prohibuit Sacra Congregatio. Nam etsi valor Missæ secundum se, & in

in actu primo, ut itam dicam, sit infinitus; effectus tamen Sacrificii, ideſt fructus ex eo proveniens, eſt finitus, & minuibilis. Ac proinde minor provenit pluribus, quam ſi uni ſoli applicetur.

Quinto, poſito, quod teſtator reliquerit centum Miſsas pro ſua ipſius anima celebrandas, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ, an liberum ſit hæredibus eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere, an vero eadem eleemoſyna ab Ordinario præſcribenda ſit.

Sacra Congregatio declaravit, quoties certam eleemoſynam teſtator non reliquit, ab Ordinario præſcribendam eſſe certam eleemoſynam, quæ oneribus Miſſarum celebrandarum reſpondeat, juxta morem Civitatis, vel Provinciæ.

Sexto an Sacerdos, qui Miſsam ſuſcepit dicendam cum certa eleemoſyna, poſſit eamdem Miſsam alteri committere celebrandam, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta?

Sacra Coagregatin ad removendum ab Eccleſia omne damnabile lucrum, reprobavit turpem hujuſmodi quæſtum, diſtricteque prohibuit, ne ullus Sacerdos id facere præſumat.

Se-

Septimo, an Sacerdotes, quibus aliquando datur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, teneantur eamdem integram eleemosynam tradere iis, quibus Missam celebrandam committunt, an vero sufficiat, ut dent eleemosynam congruam?

Sacra Congregatio declaravit absolute integram eleemosynam tribuendam esse Sacerdoti celebranti, nec ullam partem illius eleemosynæ posse sibi retinere.

Octavo, ex prædicta declaratione dubitatum fuit, an deberet etiam intelligi de Beneficiario, qui potest per alium celebrare, an teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii?

Respondit sufficere, quod Beneficiarius tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam juxta morem Civitatis vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

(Quam declarationem habere locum etiam in Capellano, qui per alium potest oneri Missarum satisfacere, tenet Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 31.)

Nono, an permittendum sit Sacri-

stis,

ſtis, ſeu collectoribus eleemoſynarum, pro celebrandis Miſſis, ut ex iiſdem eleemoſynis aliquam portionem ſibi retineant pro expenſis in manutentione Eccleſiæ, Altarium, inſervientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Prædicta Sacra Congregatio reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum adminiſtratores ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum, ullam, utcumque minimam portionem ſibi retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & loca pia alios non habeant redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licite poſſint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ: & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Decimo an Sacerdos poſſit ſuſcipere no-

nova Missarum onera, etsi oneribus antea susceptis nondum satisfecerit?

Ad hoc respondit, non prohiberi absolute. Ac propterea, etsi oneribus antea susceptis Sacerdos non satisfecerit, posse nihilominus nova etiam Missarum onera suscipere celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfacere.

(Quid vero intelligitur per *modicum tempus*. Ledesma, & Villalob. quos citat, & sequitur Dian. *p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 25. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 34. dicunt intelligi illud infra, quod quinquaginta, vel sexaginta Missæ dici possunt dummodo Missas postulantes majorem celeritatem non requirant. Et hæc opinio fere communis est inter Doctores.)

Undecimo: Quid si offerens, & tribuens eleemosynas pro Missarum celebratione sciat, & consentiat, ut illæ differantur, donec aliis oneribus satisfactum fuerit?

Sacra Congregatio respondit, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Mis-

Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus, eo casu eleemosynæ accipiantur pro aliis Missis, juxta benefactoris, & offerentis consensum celebrandis.

Duodecimo, an administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iidem Missis, non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus Fidelium ut ajunt, minuantur?

Sacra Congregatio respondit, non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt.

De quibus declarationibus vide Barbos. *de offic. & potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 24. Bonac. *de Sacr. disp.* 4. *q. ult. p.* 7. *paragr.* 2. Diana *cit. p.* 2. *tr.* 14. *resol.* 5. Card. de Lugo *de Euchar. disp.* 21. *sect.* 1. Collegium Salmant. *tr.* 5. *de Missæ Sacrif. cap.* 5. *p.* 2. & 3. & fusius vide Tambur. *lib.* 3. *methodi celebrandæ Missæ*.

Prædictis tamen decretis non obstantibus majorem eleemosynam possunt

ſunt Sacerdotes recipere pro obligatione dicendi Miſſam ſummo mane, vel ad loca diſtantia, ob majus incommodum, & laborem. Suar. 3. *p. diſp.* 86. *ſect.* 2. Baſſæus *V. Miſſa num.* 10. Homob. *de exam. Eccleſiæ tom.* 1. *tr.* 4. *q.* 120.

Similiter pro Miſſa ſolemni eleemoſyna major aſſignari, & recipi poteſt, quam pro Miſſa privata. Item pro Miſſa cum officio defunctorum. Et in die Nativitatis Domini pro tribus Miſſis tria ſtipendia celebrantes poſſunt recipere. Ita DD. *ſupra cit.* Tandem in diebus feſtis poſſe Sacerdotem duplum eleemoſynæ, quæ aliis diebus dari conſuevit, recipere, tenent Suar. *loc. cit.* & Bonac. *cit. diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 7. *num.* 13. Ubi addit in Diœceſana Synodo Mediolanenſ. III. ita præſcriptum eſſe; idque paſſim uſu receptum. Hic Venetiis vero ſtatutum eſt juxta ſynodales Conſtitutiones ab Illuſtr. & Rever. Petro Barbadico Venetiarum Patriarcha proxime defuncto *die* 19. *Februarii* 1710. ſub pęna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ, ut Sacerdotes cujuſcumque ſtatus, & conditionis pro eleemoſyna cu-

ctus omnes, tam ex opere operato, quam operantis, ita ut nullam orationem possit applicare alteri?

Affirmant Vasquez *tom.* 2. *in* 3. *part.* 171. *num.* 36. Bonac. *de Sacram. dist.* 4. *quæst. ult. p.* 7. *parag.* 7. *num.* 45. Tambur. *de Sacrif. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. asserentes, Sacerdotem in proposito casu teneri applicare illi, qui eleemosynam dedit, fructus omnes, tam ex opere operato, quam operantis, quorum est capax, ac proinde nullam orationem, seu collectam in ea Missa posse alteri applicare. Contrarium tamen defendunt Coninch. *cit. dub.* 10. *nu.* 191. Dian. *cit. resol.* 8. Hurtad. apud Tambur. *lib. cit. num.* 39. Sacerdotem in ea Missa posse inserere Orationem, seu Collectam pro altero, sicuti eidem liberum est in *Memento* orare pro alio.

Addit Dian. *p.* 1. *tr.* 14. *resol.* 28. ex Naldo *in Sum V. Miss. num.* 7. quibus novissime subscribit Georgius Gobat *de Sacrif. cas.* 17. *num.* 585. Capellanos, qui tenentur quotidie celebrare pro fundatoris anima, posse bona conscientia, ex rationabiliter præsumpta ejusdem fundatoris voluntate, ob aliquam necessita-

tem,

tem, quater, quinque, aut ſexies in anno pro ſeipſis, vel cognatis, aut benefactoribus ſacrificare, dummodo nullum ſtipendium recipiant.

Cæterum unum adhuc mihi videtur a te, Lector benevole, deſiderari, ut clarius explicem: Quænam actiones ſint in Miſſa, ex quibus proveniunt fructus ex opere operato, & quænam illæ, ex quibus dimanant fructus ex opere operantis?

Etſi ſatis hæc phraſis mihi videatur per ſe clare Nihilominus ut voti compos efficiaris, hic explicabo.

Ex opere operato, prout ad hanc materiam ſpectat, ſignificat ex ipſa actione Sacrificii, & ex vi intentionis Chriſti, ſine ullo reſpectu ad dignitatem, vel meritum Sacrificantis. Ex opere vero operantis ſignificat ex dignitate, & merito miniſtri Sacrificantis.

Igitur in actione Miſſæ fructus, qui proveniunt ex conſecratione applicata, ſeu non applicata alicui, aut aliquibus, aut nulli, itemque ex Sacræ Hoſtiæ ſumptione, dicuntur fructus ex opere operato, ideſt inſtituto, & quodammodo jam pridem peracto a Chriſto.

ſto. Fructus vero, qui dimanant ex ipſa Miſſæ celebratione, hoc eſt ex Acceſſu, Introitu, Hymno Angelico, Symbolo, Orationibus, Epiſtola, Evangelio, & univerſim ex omnibus verbis, & actionibus Sacrificantis, præterquam ex Conſecratione, & ſumptione, ſunt, & nuncupantur fructus ex opere operantis. Vide Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 7. ſect. 1.* ex communi.

Poſtremo pro coronide hic celebrantium memoriæ ſuggerere, quod ab Auctore graviſſimo didici, non abs re duxi, ſcilicet pie admodum, ac fructuoſe ſe facturos, ſi in *Memento Vivorum* poſt commendationem vivorum rogent Deum, ut Sacrificii fructus eos diſtribuat, prout ipſe novit eos obligari. In altero autem *Memento* (in memoriam quinque vulnerum illius, quem manibus tractant) ſint memores illarum quinque animarum, quæ omnium proximæ ingreſſuræ ſunt Cęlum; Tum illarum quinque, quæ magis ſuffragiis ſunt deſtitutæ. Nam priores quinque ſtatim ſupplicabunt Deo pro compenſatione ſibi impenſæ Charitatis. Poſteriores idipſum tanto impenſius facient,

cient, quanto clarius cognoscent, se illis singulariter sui liberationem debere.

Et hæc satis pro instructione Clericorum, & Sacerdotum circa Ritus, & cæremonias in exercendo propria munera, & in celebratione Missæ servandas. Qui plura desiderat, videat Cavalieri, Gavantum, Pasqualigum, Arnaud, Bauldry, Buongiovanni, Corsetum, Piscara, Cæremoniale Episcoporum, & alios, qui fuse, & docte de hac re pertractant.

Laus, Virtus, & Gloria sit summo Sacerdoti Christo *JESU*; Benedictio, & honor Gloriosissimæ Virgini Mariæ, ac Josepho Sanctissimo ejusdem Sponso.

FINIS.



